MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80541-22

AUTHOR:

SCHNEIDER, GEORG

TITLE:

DE NOMINIBUS GRAECIS IN ROS TERMINATIS

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1870]

Master Negative #

92-80541-22

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.5
Z8
v.11

Schneider, Georg, 1848-

De nominibus Graecis in ρος terminatis. Dissertatio...quam scripsit et...defendet Georgius Schneider... Vratislaviae, typis F. W. Jungferi, [1870]

50 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1870.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-7-92   INITIALS SA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE NOMINIBUS GRAECIS IN ρος TERMINATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. MENSIS JULII A. MDCCCLXX

HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS SCHNEIDER

LIEGNITZIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

GUSTAVUS FALTIN, CAND. PHIL., SEM. REG. PHILOL. SOD.
GUSTAVUS MEYER, CAND. PHIL., SEM. REG. PHILOL. SOD.
RICCARDUS PISCHEL, DD. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AUGUSTO ROSSBACH

PHILOSOPHIAE DOCTORI
LITERARUM ANTIQUARUM PROFESSORI
IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI

PRAECEPTORI DOCTISSIMO BENEVOLENTISSIMO

SACRUM.

De nominibus in -ρος terminatis.

Ne veteres quidem grammatici ubi de exitu vocabulorum verba faciunt, silentio praetermiserunt nomina in -ρο formata, cujus rei lubet nonnulla afferre testimonia. Primum enim Herodianus in libro qui inscribitur περὶ μονήρους λέξεως inquisivit in suffixum nostrum ubi res poscebat et inter alia dedit haec praecepta: »μοῖρα· οὐδὲν εἰς ρα λῆγον συνεσταλμένον θηλυκὸν δισύλλαβον τῇ οι διφθόγγῳ παραλήγεται ἀλλὰ μόνον τὸ μοῖρα ἀπηνέγκατο τήνδε παράληξιν« vel alio loco »ἑταῖρος· οὐδὲν εἰς ρος λῆγον ὑπὲρ δύο συλλαβὰς ἁπλοῦν προπερισπᾶται ἔχον πρὸ τέλους τὴν αι δίφθογγον ἀλλὰ μόνον τὸ ἑταῖρος· ὅσως οὖν ἀπολογώτερον τὸ ἕταρος χωρὶς τοῦ ι λεγόμενον.« item »πυρά· τὰ εἰς ρα λήγοντα θηλυκὰ μονογενῆ τῷ υ παραληγόμενα ἢ τρίτην ἀπὸ τέλους ἔχει τὴν ὀξεῖαν, ὡς τὸ ἄγκυρα ὄλυρα κέρκυρα κόρκυρα· ἢ παροξύνεται ὡς τὸ ἐφύρα πορφύρα κολύρα ζεφύρα λύρα θύρα· ἢ προπερισπᾶται ὡς τὸ σφῦρα· οὐδ' ὅτι οὖν ἐστιν ὀξυνόμενον. σημειῶδες ἄρα τὸ πυρά.« Herodianus autem dispersim neque de industria, copiose atque omnibus numeris absolute Theognostus rem tractavit in canonibus qui vocantur. Itaque ex iis quae ad hanc quaestionem spectant, pauca afferam. Dicit enim Theognostus (apud Cramerum, anecdot. vol. II) pag. 108: »τὰ εἰς ρα ῥηματικὰ μετ' ἐπιπλοκῆς συμφώνου εἴωθεν τοῦ πρωτοτύπου λείψανον τι τηρεῖν· οἷον. . . . χέω χύτρα αἴθω αἴθρα ξύω ξύστρα φαίνω Φαῖδρα.«, pag. 101. τὰ διὰ τοῦ ερα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς πρὸ τέλους ἔχοντα τὸν τόνον διὰ τοῦ ε ψιλοῦ γράφεται· οἷον· διφθέρα χολέρα τρομέρα ἑσπέρα pag. 107. τὰ διὰ τοῦ ηρα δισύλλαβα βαρύτονα μακροκατάληκτα διὰ τοῦ η γράφονται· οἷον· θήρα Ἥρα σπήρα πήρα, ὁ θόλακος· το σειρά· δειρὰ τὸ ἄκρον ὀξύνεται καὶ διὰ διφθόγγου γράφονται ἀλλ' οὐκ ἀντίκεινται.

Dispexit quoque -αιρα -ειρα -υρα terminationes variasque caussas finxit compositionis, cf. pag. 101. »τὰ διὰ τοῦ ειρα

δισύλλαβα βραχυκατάληκτα διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφονται, οἷον· σπεῖρα ἡ μὴ τίκτουσα καὶ τὸ μέρος τῆς γεώς, πεῖρα σπεῖρα ζεῖρα et paullo post: τὰ διὰ τοῦ ειρα δισύλλαβα ὀξύτονα μονογενῆ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφονται οἷον· σειρά δειρά σχειρά.

Restat ut Arcadii de accentibus libellum commemorem quo et ipse de suffixis modo dictis accuratius disseruit. Jam quum haud ita discrepet a Theognosti ratione Arcadius pluribus quid illi placuerit illustrare supersedeo.

Atqui multum abest, opinor, ut grammatici veteres attulerint aliquid ad veri cognitionem. Namque assidue illi in eo potissimum errore versantur ut quae sit syllaba radicalis quae suffixo tribuenda, certis finibus parum dignoscant. Contra saepissime ultimam radicis litteram in terminationem vertunt ut intelligitur ex Herodiani illo μοῖρα quod sic dividit μοῖ-ρα sive e vocabulo ἑταῖρος in ἑταῖ-ρος dissecto. Est autem in manibus a radicibus μορ et ἑταρ fluxisse illa nomina, cf. Curtius grundzuege der etymologie pagg. 297. 616. Neque solum consonas sed etiam vocales in fine radicis positas ad suffixum trahi evenit nonnunquam. Vide exempli gratia voces σκληρός ξηρός λῆρος ab Arcadio inter nomina in-ηρος numeratas quas a stirpibus σκλα ξα λα esse profectas satis nunc constat inter viros doctos. Ut paucis summam amplectar omnino non quae esset natura suffixorum, veteres perspexerunt technici, vel potius quaestione instituta de nominibus in suffixum aliquod terminatis, quot syllabas quot genera habeat nomen, num sit adjectivum substantivum nomen proprium, ubi cujusvis vocis accentus et tenor sit statuendus alia hujusmodi perquirunt. Fugit eos res gravissima, quemadmodum fiat conjunctio inter terminationem et nominum stirpem in consonam exeuntem, deinde quaenam sit ratio vocalium α ε η ω υ suffixo ρ antecedentium.

Sane Herodiano et Arcadio et Theognosto longe praestant grammatici indici quod attinet ad subtiliter inter radicem et suffixum distinguendum. Sed ne ii quidem ubique de thematum compositione cum terminatione recte judicasse videntur. Etenim Pânini quem Benfeius est secutus in ampliore linguae sanscritae grammatica, celeberrimus ille quidem auctor rerum grammaticarum apud Indos -vara -mara -mala refert in numerum kritsuffixorum quae vocantur quamvis pateat constare ea e taddhitasuffixo ra, la atque e kritsuffixo va, ma itaque verbi caussa admara ghasmara naçvara îçvara redire ad themata adma- ghasma- naçva- îçva quamquam non usitata tamen ponenda. Ceterum mentionem facit Benfeius suffixorum in ra in paragraphis 391. 399. 407. 410. 418. 419. 596. 615 quo loco et terminationes primariae ra ara ira ura âra îra

ûra ôra explanantur ac confirmantur exemplis additis et secundariae ra âra îra et quae sequuntur. Jam hactenus veterum doctrina, pergo ad scriptores nostrae memoriae quid statuerint de re proposita. Ac primum quidem Boppius in grammatica comparativa inde a paragrapho nongentesima tricesima septima usque ad nongentesimam quadragesimam alteram, item Schleicherus in compendii sui linguarum indogermanicarum paragrapho ducentesima vicesima in universum spectaverunt de hoc genere suffixorum apud Indogermanos usurpato ut pro certo constet jam in sedibus antiquissimis Ariorum adhibitam esse terminationem ra ad nomina formanda. Quodsi singulas linguas aggredimur sanscritam atque sendicam linguam prorsus pari modo esse usas suffixo ra animadvertimus quo graecam cum miro quodam consensu vel in accentu adsignando, quod raro fit; cf. Benf. gramm. ampl. l. sans. loco jam laudato, Justi handbuch der zendsprache pagg. 369. 370. 373. »udrá kuçrá budhra; aghra dâra çâdra feminini generis, khshudra zafra neutrius gen., item adjectiva gufra dûra mrûra etc., recipiuntur quoque usu terminationes ara = αρο ερο in vocab. patara janara, ûra = υρο in vocab. arezûra çighûra. Ad haec Schleicheri grammaticam lituanicam evolvas, qui in paginis centesima decima et undecima exempla aliquot lituanica ad ra suffixum pertinentia protulit in medium, cf. skïdrá, a rad. skid, kaitrá, auszrá, item stambras tikras. Vide praeterea librum ejusdem viri doctissimi quo de veterum Slavorum dialecto instituit doctrinam, cf. imprimis p. 174. 175. Denique quod nuper publici juris est factum opus Leonis Meyeri »die gothische sprache und ihre lautgesetze« praetermittere nolo. Utraque enim ratione Gothorum lingua usurpavit ra suffixum, quum non solum nomina primaria duceret a radicibus per hanc terminationem sed etiam nominum themata amplificaret ra addito, ut bait-ra amarus a rad. bait, fag-ra aptus comparat Meyerus cum radice graeca πηγ, item akra ager, vôk-ra fenus quod conferri potest cum radice latina aug- in augeo. Formationes secundariae extant framaldra derivata ab aldi senectus, vulthra a nomine vulthu, ut alias mittam. Restant linguae proxime inter se cognatae graeca et latina. Vel primarii vel secundarii suffixi vice fungi ro in latino sermone exemplis satis multis demonstravit Pottius, etymolog. forschungen II, p. 597. 598. cf. pû-rus libro- i. e. liber, misro- i. e. miser, prolet-arius reti-arius mû-rus, etc. Apparet autem quod ad hanc quidem terminationem pertineat, non tantam esse similitudinis speciem graecae linguae cum latina quantam cum sanscrita.

Deinde Kruegerus in grammat. graeca I p. 204 paucis

verbis mentionem facit suffixi nostri atque de vi haec fere addit: »die endungen ρος ερος ηρος bezeichnen ein erfuelltsein«. Quam sententiam viri d. ex aliqua parte haud comprobaverim. Etenim si e magno numero nominum in -ρο exeuntium pauca solummodo in judicium vocamus, ut βλέφαρον ἔνεροι ὅμηρος νεκρός γεηρός ἀφρός τεφρός νυκτερός facile intellegemus non adauctam esse vim principalem et notionem radicis in derivatis quem ad modum fiat per -osus et -εις terminationes in vocabulis vinosus atque δενδρήεις exempli gratia, sed qualitatem aliquam sive relationem stirpis exprimi addito hoc suffixo. Omnino autem difficillimum habeo certis finibus quid valeat suffixum hujusmodi et antiquissimum et una tantum in consona innitens circumscribere, contra quae pluribus continentur litteris terminationes sicut vat tar facilius expedias. Liceat quoque hoc loco de eo monere quod ra suffixum inter stirpes pronominum referri non debet. Saepe enim inquisiverunt viri docti in suffixa eo consilio ut profecta esse ea ostenderent a pronominum radicibus quo magis redderent dilucidam originem ac naturam parvarum illarum litterarum quae quidem plurimum valent ad nominum formationem atque notionem. Illud autem est evidentissimum de ρο suffixo tale aliquid cogitari non posse. Jam, quum nemodum quantum scio cunctam materiam huc spectantem accurate percensuerit multi multis locis diversissime senserint de usu singulari suffixorum ρο ερο αρο ηρο υρο et tota hac doctrina ad certas regulas adhuc non redacta gravior extiterit dissensio in etymo difficillimae cujusque vocis quaerendo, ipse in pagellis sequentibus quod potero omnia vocabula in ρο terminata vocabo in quaestionem. Quod ita instituam ut singulorum vocabulorum quo modo conjungatur stirps cum suffixo, perlustrem. Atque initium faciam a radicibus in β consonam desinentibus, deinde ordinem secutus alphabeticum de reliquis in consonas exeuntibus instituam disceptationem, in fine ponam stirpes vocali exitu indutas. Illud autem agam potissimum ut quid sit etymon cujusque vocis indagem a terminatione ρο tanquam a certo duce profectus. Saepissime enim in expediendis vocabulis viri d. versantur in errore utpote qui radicem stirpemque tantummodo spectent, nullam suffixi rationem habeant. Quare ipsa contrariam viam ingressus aliquid me profecturum esse spero in his speciminibus etymologicis.

λιβρός stillans, madidus; animadvertimus hoc in nomine quod assolet nempe nomina in ρος terminata servasse antiquissimam eamque simplicissimam radicis formam, cf. λείβω et λοιβή. Memoratur vox λιβρός et a Benfeio, griech. wurzellexicon II pg. 123 et a Curtio grundzuege etc. pg. 328; ma-

navit a radice λιβ quae mera conspici potest in venti nomine Λίψ λιβ + σ: is qui pluvia affert. Alia hujus vocabuli forma λιμβρός extat insuper μ interposito quo majorem firmitatem praeberet β litterae vel βρ; nititur enim quodammodo β consonâ μ quod idem evenit in λαμβάνω a rad. λαβ sanscr. labh amplificato. Id quoque spectare debemus quod in utraque consona formanda concluduntur labra ita tamen ut β edat sonum explosivum, obtusi aliquid et pressi insit litterae μ quare facile fieri potest ut μ quasi adulterinum inrepat ante labiales β et π quas faciliores reddat pronuntiatu. Ceterum his de rebus cf. Merkelium »stimm- und sprachorgane« pgg. 883—885.

Simili ratione inseritur μ in vocabulo θιβρός θιμβρός quod Benf. II p. 196 affirmat esse doricam formam vocis θερμός atque originem ducere e primario adjectivo * θιλπρός.

Equidem expressis argumentis refutare hanc vanam opinionem habeo supervacaneum, in memoriam voco glossam Hesychii: θιβρός· ἁπαλός τρυφερός ἁβρυντικός; hisce tribus adjectivis notio mollitiei est subjecta et e locis quibusdam scriptorum vim fuisse nostrae vocis »tener tenuis mollis« percipitur, cf. Euphorion. ap. schol. ad Nic. ther. 35, 137.

Itaque nescio an latina vox fibra recte comparetur cum θιβρός ob tenuitatem fibrarum et mollitudinem, ut pro stirpe communi θιβ fib indogermanice dhib sit statuendum. Huc traxerim Θίμβρων nomen proprium quod derivatum videtur a stirpe θιβ, reperitur etiam forma Θίβρων μ omisso. ὄμβρος ap. Curt. pg. 304, Benf. II p. 341, Pott. I pg. 3. Itali quoque m inseruerunt in vocabulo imber, omiserunt Indi: abhra, ap. Boehtl.-Roth sanskritwoerterbuch I pg. 364 si recte huc refertur. Adjecta autem terminatione -as et ipsa forma sanscritica invenitur per m adaucta: ambhas ap. Boeth-Roth pg. 388. κίβρος latro, e Henrici Stephani thesauro petitum, a Curtio Benfeio Pottio haud laudatum. Radicem pono κιβ quae eadem usurpatur in κίβ-δος κίβ-δηλος κίβδης· πανοῦργος Hesych. Amplificatam formam κίμβρος· λῃστής praebet idem lexicographus.

ἡ θύμβρα τὸ θύμβρον satureja hortensis; addico me Curtii sententiae, quod dixit pg. 462 derivandum esse hoc nomen a rad. τυφ vel θυφ. Atque interpositae litterae μ vestigia persequi licet etiam in Τυμφρηστός, cf. Curt. p. 205. βεβράς quoque μ sibi ascivit: βεμβράς sardarum genus. Fortasse adnumerare debemus his vocabulis nomen propr. Τέμβρος· πόλις Κύπρου Stephan. Byzant. si proficiscimur a rad. τεβ quae continetur in Τέβρος n. pr. fil. Hipponactis, ap. Apollodor. 3, 10, 51.

Praeterea Ἴμβρος insula iniit eandem rationem secundum Benfeii sententiam I p. 118 qui derivat a rad. abh, α in ι debilitato et prope ὄμβρος ponit. Vidimus igitur tres illas litteras μβρ in unum quodam modo conjunctas suaviter tetigisse auditum Graecorum, quamvis alienum esset ab ingenio linguae plures consonas accedere inter se vocalibus non interpositis. Valuit ergo, opinor, ad hanc rem efficiendam natura ρ consonae propria quippe quae liquida esset i. e. medium aliquod teneret inter vocales et consonantes. Quare si collisio fit trium consonarum semper fere ρ tertium locum obtinet: ζῶστρον στρατηγός οἰκτρός λαμπρός.

ἁβρός ap. Curt. p. 472 qui comparat cum ἁπ-αλός propter significationem fere parem, sed ipse fatetur non liquere quemadmodum β in π sit mutatum. Attamen hoc pro certo habeo ἁβ- esse radicem statuendam, ρ tribuendum suffixo quia quid sibi velit ἁβρ- radix intelligi non possit.

λάβρος quod Benf. II p. 12 derivat a rad. λαφ in λαφύσσειν devorare extanti, Christius grundzuege der griech. lautlehre p. 273 ductum arbitratur a rad. λα λαϝ, cui Curt. quidem p. 327 vim tribuit fruendi. Nimis vero abhorret ab hac significatione genuina vocis λάβρος quae cognosci potest ex his versibus Iliadis, Β 148:

ὡς δ'ὅτε κινήσῃ Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθὼν
λάβρος ἐπαιγίζων

et Φ 271: ποταμὸς δ' ὑπὸ γούνατ' ἐδάμνα
λάβρος ὕπαιθα ῥέων, κονίην δ' ὑπέρεπτε ποδοῖιν

item Π 385: ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς . . .

Apparet igitur his locis ventum flumen imbrem rapida dici et impetuosa scilicet propter motum violentum quo omnia secum trahant et arripiant. idcirco haud dubitaverim λάβρος ad rad. λαβ referre praesertim quum non solum accipiendi sumendive habeat notionem sed etiam adprehendendi et rapiendi cf. Iliad. Λ 114:

ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
ῥηϊδίως συνέαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν

et Odyss. ι, 41: ἐκ πόλιος δ'ἀλόχους καὶ κτήματα πολλὰ λαβόντες et aliis quoque locis hostiliter quodammodo usurpatur λαμβάνω. Quod autem attinet ad α productum in λᾱβρος si correptam vocalem α in λᾰβ spectamus, primum conferenda sunt nomina λῆψις et ληπτήρ quae eandem rationem inierunt, deinde μᾱκρός et μῆκος a stirpe μᾰκ in μᾰκ-αρ μᾰκ-εδνός formata vel tales voces quales νᾱ-ρός a rad. νᾰ cf. Pindar. Olymp. XIV, 13 ed. Schneidew.: ἀένᾱον σέβοντι, vel κλᾶρος κλῆρος a rad. κλᾰ de

quibus infra videbimus. Saepius igitur breves vocales producuntur ante ρο terminationem. λᾱβραξ quoque optime convenit ad sumendi vim, cf. Aristoph. equit. v. 361: λάβρακας Μιλησίους.

μολυβρόν· τὸ μολυβοειδές Hesych. plumbi speciem gerens, ductum a stirpe μολυβ- quam habemus in vocab. μόλυβος et μόλυβδος plumbum. Taddhita suffixum ρο est usurpatum hac in voce. τὸ σκίμβρον· λάχανον glossae et Geopon. 12, 35. ρο suffixum ponendum videtur, de stirpe nihil certi constat, nam σκιμβ-ός pede claudus forma quidem simillima utitur, significatione prorsus diversa. μολοβρός ap. Benf. I p. 478 Curt. p. 332. Duentzer in Kuhnii zeitschr. f. vgl. sprachforschg. vol. XIV p. 196. Viri d. in eo consentiunt quod primam syllabam eandem habent atque in verbo μολ-ύνειν eique vim tribuunt: sordidus lutulentus. Sunt autem discordes in reliqua parte vocabuli expedienda quum Curtius et Benfeius βρος per metathesin e rad. βορ vesci vorare esse ortum existiment, Duentzerus μολοβ vel μολυβ pro amplificatione μολ radicis accipiat quae et ipsa animadverti possit in voce μόλυβ-ος μόλυβ-δος Χάρ-υβ-δις, et vertat: »schmutzkerl«. Reperitur vocab. nostrum et in Odysseae libro Ρ 218:

πῇ δὴ τόνδε μολοβρον ἄγεις, ἀμέγαρτε συβῶτα
πτωχὸν ἀνιηρόν, δαιτῶν ἀπολυμαντῆρα;

et in libro Σ 26: ὢ πόποι, ὡς ὁ μολοβρὸς ἐπιτροχάδην ἀγορεύει.

Utroque loco Ulyxi hoc cognomen μολοβρός datur tanquam contumeliosum, Iro minus quamvis irrisu minisque insectentur eum proci, cf. σ, 79—87; hoc imprimis tenere debemus. Accedit quod Irus per Ithacam mendicando quaestum faciebat:

ὃς κατὰ ἄστυ
πτωχεύεσκ' Ἰθάκης

contra Ulixes re vera est ἀλήτης et migravit per multas terras cf. ξ inde a versu 287, ρ 442—444; et vide quomodo increpet Antinous Eumaeum (ρ, 373):

ἦ οὐχ ἅλις ἧμιν ἀλήμονές εἰσι καὶ ἄλλοι
πτωχοὶ ἀνιηροί, δαιτῶν ἀπολυμαντῆρες

scilicet ut discrimen faciat inter ἀλήμονες et πτωχοὶ in hunc modum ut ἀλήμονες ἀλῆται nuncupentur qui peregre veniant mendicandi caussa, πτωχοὶ sit generalior significatio omnium mendicorum. Illud quoque notabile videtur ipsum Irum appellare Ulixem μολοβρὸν et ἀλήτην, neque quidquam commemorare de vestibus sordidis Ulixes quonjam ipse haud dubie immundus fuerit ac male vestitus; qua de caussa ineptissime egisset Irus talia quaedam exprobrans adversario. Vel potius expectare licet novam aliquam ignominiam excogitasse Irum in Ulixem. Quare equidem crediderim derivandum esse μολοβρός a rad. μολ, aoristo μολεῖν subjecto. Pro stirpe μολοβ ponatur

necesse est, neque enim raro evenit per syllabas hujusmodi αβ υβ οπ propagari radices, ea videlicet ratione ut et potestas verbi mutetur in aliquam partem vel amplificetur his additamentis cf. κόλ-αβ-ος κολ-ύβ-ρ-ιον θόρ-υβ-ος[1]). Deinde quorum syllaba radicalis o vocalem adhibet vocabula per οβ adsolent dilatari, fortasse ad sonus similitudinem fictum, sicuti ὄτ-οβ-ος ὄρ-οβ-ος ὀρ-οφ-ή. Jam significatio vocis μολ-οβ-ρός eadem videtur atque in nostro vocab. »landstreicher«. Hanc si vim admittimus optime quonam probro sit affectus Ulixes tanquam vagus et erro intelligitur, quin etiam leporis aliquid inest in Iri verbis quem sic germanice reddere lubet: wie doch der landläufer geläufig schwatzt: μολοβρὸς ἐπιτροχάδην ἀγορεύει. Quodsi Curtii opinionem perpendimus nempe terminationem βρος vocabuli μολοβρός per litterarum translationem esse dictam pro βορς a rad. βορ vorare ut dissona junctura consonantium ρσ evitaretur, videt unusquisque magis fuisse ex ingenio linguae graecae βρωτ-[2]) stirpem statuere cum vocali o in ω producta et τ assumpto, sicuti pro καμς κμητ+σ cf. σιδηροκμής, -κμῆτος, pro δαμς δμητ+σ cf. ἀδμής-δμῆτ-ος etc. Sane inveniuntur adjectiva haec: ὠμοβρώς ἀνδροβρώς παιδοβρώς σιδηροβρώς et secundum analogiam formatum μολοβρώς poscemus quod nusquam legitur, quamquam bene cecidisset in metrum dactylicum.

Jam veteres aliquatenus quid sit verum senserunt, cf. Hesych. μολοβρός· μολίσκων ἐπὶ τὴν βοράν .... ὁ ἐρχόμενος φαγεῖν; recte igitur cum eundi notione confertur vox nostra. Idem sibi vult alia glossa ejusdem scriptoris μολόβρια· τὰ τῶν ἀγρίων θηρίων τινὰ οὕτω καλεῖται; propter late vagandum opinor appellata.

θλῖβερός molestus, anxietate adficiens, originem ducit a rad. θλῖβ premere. Quaestio autem oritur de ε inter β et ρ interposito quanam sit indole ac natura. Etenim Boppius in grammat. compar. § 815 p. 1142 et in gramm. crit. ling. sanscr. § 575 p. 381 diverse sentit de hac vocali: aut meram esse copulativam aut eam vocalem qua verba cujus quidque sit ordinis distribuantur. Itaque α illud vel ε terminationi praepositum in vocibus φαν-ε-ρός ἑρπ-ε-τός θάν-α-τος κάμ-α-τος pac-a-tás mar-a-tás pro vocali ordinaria esse accipiendum quae praesentis temporis adhaereat stirpi in classi prima atque sexta verborum indicorum. Verum ipse dubitat num merito haec littera ordinaria appelletur, quonjam pac mar θαν καμ radices neque primo neque sexto sanscr. conjugationis ordini sint adscriptae. Fortasse, quo dilucidior fiat tota haec controversia, operae est

[1]) vide praeterea σκόλ-οπ-ς σκάλ-οπ-ς κόρν-οπ-ς.
[2]) cf. ἀβρώς ἀβρῶτος.

pretium ad πρῶτον ψεῦδος viri d. redire, nempe ad sententiam quam protulit de formatione participii praesentis activi. Statuit enim (§§ 779 sqq.) formari hunc modum per suffixum -ντ adjectum radici amplificatae α vocali, item ea verba quae careant vocali ordinaria, per errorem quemdam linguae cum suffixo -ant conjungi, ut (a)s-ant a rad. as derivatum, rud-ant a rad. rud, quamquam classi secundae sint tribuendae.

Et illud quidem concesserimus Boppio fieri non potuisse ut complexiones tales litterarum quales snt in snt dnt in rudnt pronuntiarentur, atque ob eam caussam vocalem α esse interpositam, ni formae extarent hujusmodi: ci-nv-an a rad. ci quae quintum ordinem sequitur, tan-v-an a rad. tan secundum octavam classem. Nihil igitur impediebat quominus ci-nu-nt, tan-u-nt diceretur. Proxime autem ad verum accedere Schleicheri opinio videtur (cf. compend. § 229) videlicet duas esse formas suffixi quarum plenior -ant affigatur ad stirpes in consonas exeuntes, altera -nt abjecta vocali ad vocalem ordinariam vel a, graece ο bhar-a-nt φερ-ο-ντ, vel ε τι-θε-ντ.

Deinde quod attinet ad has formas φίλητρον στέργηθρον κόρηθρον fulgetrum aratrum certe vocales η et ᾱ verborum stirpi tribuemus, non suffixo. Sed prorsus diversa est ratio talium radicum ut φιλᾰ στεργᾰ κορε fulge ara a stirpibus monosyllabis φερ κοπ ἐς etc. Illae enim manant e radicibus primariis, ut bhâra-yâmi a rad. simplici bhar per thema nominis bhâra. Quo loco cavendum est ne eandem vim adjudicemus verbis primitivis atque derivatis. Namque omnis verborum secundariorum stirps recte comparari potest cum nominis themate: τυχ-α, δερ-ματ et στεργ-α χειρ-ο; quod si novum suffixum addimus his stirpibus »taddhita« nomen imponi ei debet: τυχηρός δερματικός στέργη-θρον χειρω-τός δούλω-σις similia. Omnia ea numerosissima nomina eximenda sunt a quaestione proposita; restat ut de propriis iisque monosyllabis radicibus disseramus. E multis ergo unum suffixum, cujus complura exempla in promptu habeo, in quaestionem vocemus quo quem ad modum res se habeat ostendatur. θρο vel τρο terminatio usurpatur ut aut instrumentum significet aut mercedem alicui rei propositam. Perpauca autem nomina in τρο vel τλο desinentia ε litteram exhibent inter stirpem et suffixum quae vix aliter poterit declarari nisi inserta e lege euphonica, cf. χείμετλον χίμετλον (ulcus hiberno frigore effectum) a χειμ-ατ derivatum; litterarum enim series μτλ (χίμ-τλον) videtur parum usitata fuisse atque intolerabilis auditu Graecorum. Quod idem contigisse affirmaverim nominibus φρύγ-ε-τρον pro φρύγ-τρον, τέλ-ε-τρον vel τέρ-ε-τρον perforaculum pro τέρ-τρον, φαρύγ-ε-θρον vel potius φαρύγγ-ε-θρον pro φαρύγ-θρ-ον, item πύρ-ε-θρον

θύρ-ε-τρον ῥάχ-ε-τρον φέρ-ε-τρον φόρ-ε-τρον κμέλ-ε-θρον βάρ-α-θρον; aliquanto certe asperior fuit sonus ρτρ ρθρ. Contra multo plura inveniuntur vocabula quibus deest ε illud copulativum, quod quidem Boppius ordinarium habet: ἄ-λειπ-τρον ἀμφί-βλη-σ-τρον ἀνά-βα-θρον ἀνά-κλιν-τρον ἀντί-κλει-θρον ἀπό-δυ-τρον ἄν-τρον ἀπό-νιπ-τρον ἄρ-θρον βάπ-τρον δέρ-τρον δέ-σ-τρον δί-οπ-τρον ἔγ-κλει-σ-τρον ἔκ-μακ-τρον ἔμ-πλασ-τρον ἔπ-ακ-τρον ἐπί-δαι-τρον ἐπί-νη-τρον ἐπί-σπα-σ-τρον ζῶ-σ-τρον θέλκ-τρον θρέπ-τρον κλεῖ-θρον κλῶσ-τρον κνῆ-σ-τρον λέκ-τρον τὰ Λεῦκ-τρα ὁ Λεῦκ-τρος λύ-τρον μέ-τρον μή-τρα τὰ μνῆ-σ-τρα sponsalia νῆ-τρον ξέ-σ-τρον ξύ-σ-τρα πλῆκ-τρον πλάγκ-τρον πλέ-θ-ρον πλῆ-θρον πλέκ-τρον πλύν-τρον ῥόπ-τρον ῥύ-τρον σεῖ-σ-τρον σκῆπ-τρον τέρ-θρον φίλ-τρον χύ-τλον. Quibus rebus expositis pro comperto habuerim non cogitandum esse in vocabulo θλιβ-ε-ρός de vocali ordinaria ε; ne copulativam quidem potestatem licet dare huic litterae quum non temere usurpetur copula sed ea condicione ut quae nimis abhorreant a concursu mutuo consonas dirimat sicut in φαρύγγ-ε-θρον χίμ-ε-τλον. Atqui ut λάβρος et μολυβρός ita * θλιβρός certe dici potuit; quare ex eo quod non ita est dictum sequitur ut novam viam ingressa sit lingua in formando hoc vocabulo quae facillime perspicitur si in universum de natura ρ consonae instituimus doctrinam. Primum autem quae sit hujus litterae ratio physiologica quaeritur. Quodsi Merkelium audimus (stimmorgane p. 846) distinguendum est inter ρ palatinum et ρ labiale. Ac ρ palatinum quod attinet ad formationem prope accedit ad litteram ch gutturalem sive palatinam. Deinde in ρ palatino efficiendo pari spatio distant maxillae et labra quo in pronuntiatione vocalis α. Idcirco mirari non debemus saepissime vel ante ch vel ante r inveniri a. Contra si quis r labiale vult enuntiare quum faucium isthmum recludat latius oportet tum remittat uvulam lingua quam maxime attracta ad palatum. Praeterea labrorum maxillarumque idem est intervallum ac si e vocalis efferatur. Illud potissimum est in caussa ut r labiale libentissime conjungatur cum vocalibus. Ad haec addit Merkelius plurimas linguas una littera insignire utrumque r excepta lingua sanscrita quippe quae *r* ar usurpaverit ad r palatinum efficiendum, ra syllabam adhibuerit r lingualis notandi caussa. Juvat quoque ad Maximilianum Muellerum provocare qui in libro suo »vorlesungen über die wissenschaft der sprache« pg. 129 sententiam affert Ellisii physiologi clarissimi de illa re in hunc modum: »diese triller oder zitterlaute (nempe r et l) sind so vocalischer Natur dass sie . . . . sich nur mit muehe von den vocalen lostrennen koennen.« Ibidem Helmholtzii laudat opinionem hance: »bei der aussprache des r wird der luftstrom

periodisch durch das erzittern des weichen gaumens oder der zungenspitze gaenzlich unterbrochen und wir erhalten dann ein intermittirendes geräusch, dessen eigenthuemliche schnarrende beschaffenheit grade durch diese unterbrechung hervorgebracht wird. Apparet igitur justum nomen litterae r non consonantis sed resonantis esse ponendum quod ne veteres quidem grammaticos fefellit quum ἡμίφωνα vocarent ρ et λ. Et additamentum quoddam vocale adsumpsisse sibi has liquidas quum ex aliis tum e sendica lingua percipi potest, quae semper forma ere utitur pro sanscritico illo *r* cf. Justi, zendsprache pg. 357. Ipsa graeca lingua persaepe praebet vocales hujusmodi protheticas quae dicuntur in initio verborum: ἐ-ρυθ-ρός ἐ-ρεύγ-ω ἐ-ρέφ-ω etc. Eae omnes originem ducunt e natura r semivocalis consociandarum vocalium cupidissimae, cf. Christ griech. lautlehre pg. 34.

Neque constans sibi hac in re est lingua modo ε modo ο anteponens liquidis modo η cf. γλυκ-ε-ρός γλυκ-η-ρός ἐ-ρέφ-ω ὀ-ροφ-ή etc. Haud raro et α nulla alia caussa additur litteris ρ et λ nisi e sueto more adsumendae vocalis. Cujus rei luculentissimum exemplum extat in voce βριαρός βριερός, namque nihil impediebat quominus *βρι-ρός enuntiaretur[1]). Jam quod Meyerus opinatur tales formas referendas esse ad stirpes in α terminatas: βριαρός ad stirpem βρια parum videtur perspexisse ille quidem indolem litterae r neque minus in eo haerere debemus quod formae βρια- nec vola nec vestigium unquam invenitur. Affere vero lubet glossam Hesychii βρί· ἐπὶ τοῦ μεγάλου, tum a stirpe βρι ductum occurrit βρί-θ-ω, item βρί-ζειν cf. Curt. grundzg. pg. 418. ut non jam sit dubium quin similiter atque θ et δ (in βρί-δ-jειν) sic ρ quoque accesserit ad meram radicem βρί. Quam ob rem reditu facto ad θλιβερός ε illud inter β et ρ insertum meram esse vocalem accessoriam haud abnuerim. σέβερος· εὐσεβής Hesych. legendum est σεβερός ex analogia adjectivorum in -ρος exeuntium, quam scripturam et Dindorfius probavit, cf. Maur. Schmidt. ad Hesych. vol. IV p. 16. Fluxit hoc nomen a stirpe σεβ, ε in ερος in liquidae partem trahatur. βλαβερός noxius pertinet ad. rad. βλαβ in βλάπτειν, cf. βλάβεται· βλάπτεται Hesych. A βλάβη vel a stirpe βλαβᾰ ne putemus derivatum, α in ε attenuato, monet productio fere sollemnis α vocalis in η cf. σιγή σιγηρός αὐχμή αὐχμηρός ὄχθη ὀχθηρός μελέτη μελετηρός etc. σοβαρός· ὑπερήφανος αὐθάδης σεμνός, ἀπὸ τοῦ σέβας Hesych. Recte quidem vidit lexicographus referendum esse vocabulum

[1]) cf. χλι-α-ρός χλι-ε-ρός λι-α-ρός φλι-α-ρός φι-α-ρός a meris radicibus χλι λι φλι φι derivata.

nostrum ad rad. σεβ ita ut pro tenui ε o plenior vocalis sit posita, cf. λόγος et λέξις i. e. λέγ-σι-ς. Nititur haec etymologia et alio fulcro nempe quod extat ab eodem stirpe ductum σεμνός quum saepissime mutentur inter se terminationes ρος et νος cf. ψυδρός φυδνός, στυγερός στυγνός, κυδρός κυδνός similia. Quare optime sibi respondent formae *σεβνός et *σοβρός utraque parum habilis si bene tenes regulas euphonicas et ob eam caussam in σεμ-νός et σοβ-α-ρός mutata. Etiam in hoc nomine α intruditur e natura litterae r. βεβρός· τετυφωμένος Hesych., primarie formatum a stirpe βεβ; invenitur et βεμβρός· πάρετος τετυφωμένος Hesych. cum μ euphonice interposito. στιβαρός compactus firmus, pertinet ad rad. στιβ. Dicitur imprimis de corpore ejusque partibus, cf. Il. E 400 ὤμῳ ἔνι στιβαρῷ Od. ε 454 χεῖρας τε στιβαράς Il. Σ 415 αὐχένα τε στιβαρόν.

Jam hoc obstat quominus a voce στίβη derivatum putemus στιβαρός. Etenim στίβη pruinam significat et producta priore syllaba, correpta utitur στῐβαρός. Ergo a vero haud alienum videtur α illud in στιβαρός esse meram vocalem auxiliariam, cujus rei vel maximum argumentum reperitur in vocabulo στιφρός densus spissus quod et ipsum manavit a rad. στιβ eo modo ut vocali intercalari haud inserta ρ subsequens adspiraret mediae β. φοβερός timidus, timorem sui incutiens unde intelligitur et activo et passivo sensu usurpari suffixum ρο, in hoc adjectivo secundariae terminationis vice adhibitum. Quo loco facere non possum quin Boppii sententiae de ratione litterae ε in ερος me opponam. Ait enim (p. 1387): »ich ziehe den dem r vorangehenden vocal ueberall zum stammworte und fasse das ε von woertern wie φθονε-ρός νοσε-ρός κρυε-ρός νοε-ρός φοβε-ρός δολε-ρός σκιε-ρός βλαβε-ρός nach massgabe des ausganges des stammwortes als die verduennung oder verkuerzung von ο α oder η. Umgekehrt finden auch verlängerungen von ο zu η = ω statt daher z. b. νοση-ρός μοχθη-ρός οἰνη-ρός et quae sequuntur.« Haec vix cuiquam probentur qui quomodo compositio fiat nominum in ο terminatorum cum suffixis, diligenter percenseat. Abripitur enim fere suffixum primarium ο ante secundarium cf. κεραμο- κεραμεύς, θρονο- θρόν-ιον, λιθο- λιθίδιον, ἀνθρωπο- ἀνθρωπίσκος, ξενο- ξεν-ικός, μονο- μόν-ιμος, ξυλο- ξύλ-ινος, κυζικο- κυζικ-ηνός, ταυρο- ταυρ-ηδόν, λογο- λογ-άδην, Αἰακο- Αἰακ-ίδης. At rem nobis esse cum terminatione a consona incipienti fortasse quispiam mihi objecerit. Contra apparet et suffixa κο- μο- νο- etc. alia aliis uti vocalibus protheticis nempe α ε η ι nulla alia de caussa nisi ut disjungantur quodammodo consonae κ μ ν δ a stirpibus in consonas exeuntibus sublato suffixo primario ο.

Quod idem occurrit in terminatione ρο cui praepositas esse interdum vocales intercalares jam supra cognovimus.

Quam ob rem mihi quidem non dubium videtur quin ο ad stirpem vocis φοβερός pertinens evanuerit ante ε suffixo impertiendum. Sin licet ad rem incertam investigandam proficisci a certa atque indubitata, complura nomina enumerabo in ερος terminata quorum stirpes non desinant in o unde sequitur aliam esse rationem litterae ε: cf. πλακ- (nomin. πλάξ) πλακ-ερός, κυν- (nom. κύων) κυν-άρα, ἐν praeposit. ἔν-εροι, δυναμι- δυναμ-ερός, θεμι- θεμ-ερός, νυκτ- νυκτ-ερός, χειματ- δυσχείμ-ερος κρατεσ- κρατ-ερός, σθενεσ- σθεν-αρός. Est igitur in manibus ε illud non ex ο esse attenuatum vel ductum, quum alia quoque vocabula quae tertiam declinationem sequantur, adhibeant terminationem ερος. Accedit inconstantia quaedam linguae modo ε modo η praeponentis suffixo ρο: νοσηρός νοσερός, γοηρός γοερός, τρυφηλός τρυφερός, γλυκηρός γλυκερός, γαληρός γαλερός. Et vix erit qui dicat ο in ε correptum rursus in η esse productum. Facillime autem si quis voces *φοβρός *νοσρός *γορός *νοτρός effert parum accurata enuntiatione, sonus quidam surdus et intercalaris efficitur quo littera radicalis discernitur a ρ suffixi proprio: φοβ-ε-ρός νοσ-ε-ρός γο-ε-ρός νοτ-ε-ρός. A substantivo στρόβος vortex vertigo gyrus manaverunt στροβελός tortuosus flexuosus, item στροβιλός cum eadem significatione. Jam quod attinet ad λο terminationem, satis constat apud viros d. ρο saepissime debilitatum esse in λο ita ut ρο semper sit forma vetustior. In nostra quidem voce terminatio λο nescio an propter id sit usurpata quod ρ littera jam in radice reperiatur. Simile aliquid evenit in vocabulis in ωρος exeuntibus cujus altera forma suffixi extat ωλος praecipue iis stirpibus adfixa quae ρ continent: θερμ-ωλή ἁμαρτ-ωλός τερπ-ωλή χαριτ-ωλή. Secundum ea quae paullo ante disserui terminatio primaria ο stirpis στροβ-ο videtur deleta esse ante λο subsequens, itaque *στροβλός genuina forma est statuenda. Inserebatur autem tum ε tum ι inter stirpem et suffixum, ut recte sic dividere debeamus: στροβ-ε-λός στροβ-ι-λός. Liceat quoque formationem afferre primariam στρεβλός vocali non interposita quonjam ε vocalis levior est ac minore quantitate quam o; inde sequitur ut εβλ facilius efferri potuerit quam οβλ et interpositione aliqua inter consonas βλ non egeat.

βάρβαρος de quo egerunt Kuhn Ztschr. I p. 381 Legerlotz, ztschr. VIII p. 116. Bickell ztschr. XIV p. 428 M. Mueller ztschr. V p. 141 Curtius grundz. p. 262. magna quidem cum dissensione, ut certi aliquid adhuc non constet. Equidem radicem pono βαρβ, lat. balb- in balbus; fortasse et βάρβιτον

derivatum est ab hac radice quum instrumentum significet sonum spargens. Sonandi enim vim haud abesse a voce βάρβαρος facile intellegi potest e synonymo βαρβαρόφωνος, cf. Il. B 867. Atqui *βάρβρος forma nimias difficultates praebuit elocutioni, quapropter in βάρβ-α-ρος est mutata adsumpta vocali auxiliaria. Κύβερος· ἀναιδής Suid. et Zonar. p. 1263 pertinet ad stirpem κυβ unde κυβ-άλης· κίναιδος et κύβ-δα sunt ducta. ε euphonice est interpositum. Eandem rationem iniit vocabul. Κέρβερος a stirpe κερβ- profectum, quocum aptissime comparavit Kuhnius ztschr. II p. 314 sanscriticum karvara quod et ipsum utitur vocali intercalari. κόλαβρον· τὸ χοιρίδιον a volvendo vocatum, opinor. Est formatio secundaria a rad. κολ vel καλ per αβ propagata, cf. κόλ-αβ-ος vortex καλ-αβ-ίς saltatio quaedam, κόλλ-οψ vertigo. νεβρός hinnuleus, pertinet ad stirpem νεϜ, ac digamma abiit in β ante ρ consonam quod hic quidem enormiter, regulariter in dialecto Aeolica evenit, verbi caussa cf. βρόδον βρίζα cf. Curt. p. 517. Animadvertendum est per idem suffixum a stirpe νεϜ diversas fingi formas νεβρός et νεαρός; studebant enim Graeci complexionem litterarum Ϝρ asperiorem lenire aut α inserendo aut Ϝ in β vertendo. Namque hanc esse rationem litterae α in νεϜαρός vix quisquam addubitet, nedum a νέος putet derivatum atque *νεο-ρός mutatum esse in νεα-ρός quia ο illud nunquam redit in α antiquissimum unde cepit originem.

Pergo ad radices in γ terminatas. λυγρός ap. Lottner ztschr. VII p. 174 Curt. p. 167 Pott. I p. 528 occurrit in hoc nomine quod saepe, nempe nomina in ρος formata servasse antiquissimam radicis formam; etenim praeter λυγρός a rad. lug derivata tantummodo λευγ-αλέος λοιγ-ός inveniuntur, cf. πικ-ρός πευκ-άλιμος, ψυδ-ρός ψεῦδ-ος etc. σταγρός· ἄκρατος ἀκμαῖος Hesych. traxerim et cunctanter quidem ad σταγ in στάζειν stillare; cogitandum videtur de aqua profluente et ob hanc caussam pura et immixta quonjam saepe fit ut stagnans liquor sit sordidus limoque turbatus. Ceterum quod spectat munditiae integritatisque notionem conferas quaeso Hesychii illud: ἡ σταγών· καθαρὸν σιδήριον. λαγρὸν ἢ λαγρός· κραββάτιον Hesych., a Curt. commemoratum in pag. 177 et a sententia viri d. »wohl aus irgend einer mundart, welche die aspiraten tilgte (macedonisch?)« ob id paullulum declinaverim quod vox nostra α vocalem retinuit neque in ε debilitavit quare neminem praeteribit λαγ radicem magis prae se ferre antiquitatis speciem quam λεχ neque λαγρόν corruptum quasi esse profectumve a stirpe λεχ. Contra statuerim radices λαγ et λεχ juxta esse ponendas. Denique alicujus momenti est ad firmandam opinionem meam quod et latina et gothica et

slavica lingua γ sive κ servaverunt, cf. lec-tus lig-a, item quod vel sendica lingua pro gh indogermanico tum g tum gh sibi ascivit. ὑγρός umidus liquidus ap. Curt. p. 170 pertinet ad rad. ὑγ- indogerm. ug. Φλέγρα nom. propr. regionis Pellenaeae in Thracia quae antiquissimis temporibus flammas eructavit, cf. Preller griech. mytholog. I p. 57. 58. 60 unde conici potest nomen duxisse Φλέγρα a φλέγ-ειν sicuti φλόξ φλεγμονή φλεγυρός.

ὁ φάγρος piscium genus quoddam, item cos; merito a Benfeio I p. 222 ad rad φαγ ponitur, propter voracitatis notionem. Etiam φάγιλος φάγ-ι-λος agnus quum edulis esse incipit manavit ab hac radice. ἡ ἄγρα captura praeda, ap. Curt. p. 156 referri debet ad stirpem ἀγ in ἄγειν. ἀγρός quoque vocem traxerim ad hanc stirpem a pecore agendo dictum ut recte monet Kuhnius ztschr. III. p. 334. ἀνιγρόν· ἀκάθαρτον ἀσεβές φαῦλον δυσῶδες Hesych. Sic est distinguendum: ἀ-νιγ-ρόν, νιγ radix ponenda.

Glossa valde notabilis quum certo testimonio probet id quod conjectura dumtaxat collegerunt viri d. scilicet per zetacismum gutturalem effectum esse νιβ e rad. νιγ quae quidem exemplis e graeca lingua petitis num extiterit aliquando demonstrari non potuerit. Contra Curtius p. 284 bene comparavit rad. sanscriticam nij, (cf. Boeht.-Roth IV p. 143) quae significat »abluere repurgare.« Idem sibi vult graec. νιβ in vocab. χέρ-νιβ-α νίπ-τρον νίπ-τ-ω atque haud dubie ἀ-νιγ-ρός qui non est lotus impurus ἀκάθαρτος jure huc trahitur. Eodem nomine Ἄνιγρος immundus sordidus, flumen Elidis quoddam utitur, videlicet a lutulentis fluctibus dictum. μογερός laboriosus, ψογερός et passive reprehendendus et active qui solet reprehendere, παγερός glacialis, haec tria nomina a stirpibus in ο desinentibus μογο ψογο παγο sunt profecta abjecta terminatione secundae classis, ε superaddito secundum consuetudinem litterae ρ jam dictam. γλαγερός atque στυγερός (cf. στυγ-νός) redeunt ad stirpes in εσ terminatas: *γλαγέσ- *στυγεσ- quae rejecerunt suffixum εσ. τρυγερός· τρυγώδης Hesych. faeculentus, manavit a stirpe τρυγ- in τρύξ. Apparet ε in τρυγερός non nisi euphonice esse insertum. ἐπισμυγερῶς miserrime σμυγερός laberiosus aerumnosus, pertinent ad rad. σμυγ, cf. aorist. σμυγ-ῆναι et σμύχω attero absumo. Item κλαγερός clangorem edens referri debet ad rad. κλαγ in κλάζειν quod fere geminatum γ adhibet. Uno autem γ utitur forma κλαγεῖν· κλάγξαι φθέγξασθαι Hesych.; inde derivatum esse κλαγερός veri est simile. τὸ μέγαρον sive μἄγαρον; jam ex Athenaei interpretatione (p. 193 C) τῶν ἡρωϊκῶν οἴκων τοὺς μείζονας Ὅμηρος μέγαρα καλεῖ... et e

glossa Hesychii μέγαρον· πολυτελὴς οἶκος praecipue a magnitudine nomen duxisse aedificia hujusmodi intelligi potest. Itaque pono μέγαρον ad rad. μεγ, mag latine, cf. Curt. p. 294. λαγαρόν· τὸ μὴ ναστόν Hesych. non distentum, laxum, remissum. Derivatum est a rad. λαγ quae occurrit in λάγνης· καταφερὴς πρὸς τὰ ἀφροδίσια, λαγής cum eadem signific. Accedit quod languentis et libidinosi notiones haud alienae sunt inter se. Huc quoque traxerim vocab. τὸ μάργαρον margarita, nempe quod ad terminationem attinet. μαργ meram esse radicem docent voces μαργ-έλλιον margarita atque μαργηλίς, suffixo restat -αρον.

σμύδρος· μύδρος Hesych. massa ardens, ap. Curt. p. 302 Benf. I p. 483 pertinet ad rad. σμυδ, sanscr. mid cui notio inest imprimis lubrici madidique.

ἀ-μυδ-ρός obscurus turbidus fortasse huc debet referri, attamen vis hujus vocab. non satis convenit in notionem radicis μυδ. ὁ ἱδρός sudor, cf. Curt. p. 218 ducitur a rad. ἰδ vel σϜιδ, extat cum eodem suffixo formatum ἱδ-ρ-ώς. ἡ χαράδρα terrae hiatus alveus rima, a Benf. I p. 203, II p. 345 laudatum, qui tum a stirpe χαρ tum a *χραδ derivat. Equidem χαρ radicem pono unde et per determinativum αδ et per ακ themata sint ficta χαραδ et χαρακ (cf. χαρακτήρ) scilicet cum scindendi et rumpendi notione quae utrique stirpi inest; ceterum cf. Pott etym. for. I p. 143, σφοδρός acer, ap. Curt. p. 222 Grassmann ztschr. XII p. 102; habemus radicem σφαδ quae et in nostra voce et in σφεδ-ανός vehemens violentus reperitur. Forma stirpis genuina eaque correpta occurrit in adjectivo ψυδρός mendax fallax item in ψυδ-νός, a rad. ψυδ cf. ψεῦδ-ος. φαιδρός ap. Benf. II 103 Curt. p. 267. 581 clarus insignis. Curtius autem censet ortum esse φαιδρός e *φαι-ι-ρός pro *φα-ιρός a rad. φα- (in φα-ιό-ς et φᾱ-νός) atque per epenthesim ι inrepsisse in stirpem vocis, deinde obduruisse in δ consonam. Eodem modo δ litteram interpretatur in vocab. φαίδιμος (pro φαί-ιμος) Φαίδ-ων φαίδ-ει· ὄψει Hes. Qua in re sequi virum d. nequeo. Atque illud inprimis dubitationem movet in contortam nimisque artificiosam Curtii originationem quod suffixum ιρος aut nunquam aut perraro est usurpatum quod equidem sciam. Itaque cur in hoc potisssimum verbum intrudatur terminatio alioquin inusitata mirum videtur. Confugere igitur debemus ad radicem φαιδ- unde sunt ducta nomina illa supra commemorata. Leguntur praeterea apud Hesychium glossae haece: φαικόν· λαμπρόν; φαικῶς· λαμπρῶς ἢ λίαν; φαικῷ· ἐνεργῷ ἀκμάζοντι, ἀπὸ τοῦ φαίνειν οἷον λαμπρόν; ergo vocem φαικόν jam veteres recte retulerunt ad stirpem φα-.

Jam res ita se habet: φα- radix per litteram accessoriam adaucta est in φαι unde per alia determinativa novae stirpes fingebantur: φαι-κ-ος, φαι-δ-ιμος; denique ρο suffixo adhibito efficiebatur vox φαι-δ-ρός. Idem evenit in vocab. ψαιδρός· ψεδνός Hesych. calvus, pertinet ad rad. ψα in ψάειν fricare deterere; ψα primum per ι est amplificatum in ψαι, accessit δ cum vi determinandi, quod simplici quoque radici ψα contigit α in ε mutato ut duplex stirpis forma extaret ψαιδ et ψεδ. λαιδρός· λαμυρός ἀναιδής θρασύς Hesych. cf. λαι-θ-αρύζειν· λαμυρῶσαι ibid., λαι-κ-αστής· πόρνος ibid., λαι-μ-ά· λαμυρά Hesych. Ni fallor profecta sunt omnia ea nomina a rad. λασ vel λᾱ (cf. Curt. p. 324) per ι amplificata ac pro variis determinativis δ θ κ μ varia significatione sunt praedita; nostra quidem vox terminatione ρο utebatur. — χλᾱρός alacer vegetus vigens, ap. Curt. p. 183 a rad. χλαδ derivandum est, intercidit littera δ. Similiter explicaverim ἀκῑρός· ἰσχνός ἀσθενής (cf. Theocrit idyll. 28, 15). Refero enim ad radicem κιδ, α prothetico anteposito quae invenitur in adjectivo ἀκιδνός· ἀσθενής Hesych., item κιδνός cf. Benf. I p. 170. Neque dubito λῦρα quoque vocem huc trahere de qua egerunt Pott. II p. 205, Benf. II p. 6, qui λύρα contulerunt cum radice sanscritica ru vel rud ejulare clamare: jure ut mihi videtur. Etenim e nominibus cum rud compositis, ut rudrî genus quoddam citharae et rudravînâ cum eadem significat. (cf. Boeht.-Roth, pars VI p. 354. 370) conspici potest vel sonandi vim habuisse hanc radicem. ὕδρα ὕδρος hydra, ap. Curt. p. 223 originem capit a rad. ὑδ vel ud. ὁ κύλινδρος cylindrus, a rad. κυλινδ- quae a stirpe principali κυλ- est propagata. ἕδρα sedes, pertinet ad rad. ἑδ- et primarie est formatum. Item a stirpe κυδ- κυδ-ρός gloriosus est dictum, vel cum terminatione in νος κυδ-νός. Κόδρος nom. propr., suffixo ρο ademto remanet radix κοδ- quae et ipsa continetur vocab. κεδ-νός. Arte quoque significationes inter se cohaerere videntur. Namque apud Homerum imprimis ἄλοχοι et ἀμφίπολοι vocantur κεδναί i. e. prospicientes atque providentes, cf. κεδνά· πιστά φροντιστικά Hesych. Neque minus Codrus eximia cura prospexisse patriae fertur quum mortem obiret voluntariam pro civibus. Etiam Curtius radici καδ vim curandi tribuit quamquam vocab. Κόδρος et κεδνός nominatim non attulit, cf. grundz. p. 284. ἁδρός· πολύς μέγας πλούσιος Hesych. tam formae quam notionis respectu referendum est ad rad. ἁδ- in ἅδ-ην, vel ἅδ-δην, cf. Curt. p. 572 qui immerito dividit ἅ-δδην tanquam pro *ἅ-δjην dictum. Equidem offendo in eo potissimum quod suffixi δjα pauca eaque valde addubitata

extant exempla, numerosissima terminationum δον δην δα. Quibus causis motus derivationem hujus vocabuli a rad. ἀδ longe praefero vel a stirpe ἀδ spiritu omisso, ut pro forma genuina * ἅδ-δην vel ἄδ-δην sit statuendum, cf. Curt. p. 572: ... »die schreibung mit δδ die ihre namhaften vertreter hat.« Jam idem sibi velle ἁδ-ρός quod ἅδην atque profectum esse ab una eademque stirpe videt unusquisque. χόνδρος granum mica grumus, mutilatum habet Benfeius II p. 134 pro * χρόνδρος sed ne argumenta quidem protulit hujus etymologiae prorsus incredibilis. De radice nostri verbi nihil certi constat; fortasse ad χαν radicem referre debemus quonjam facile potuit fieri ut δ euphonice interponeretur inter ν et ρ cf. ἀν-δ-ρός sic et χόν-δ-ρος. Si χῖδρον vocabulum respicimus, quod idem fere significat, alia quoque restat via derivandi: namque in voce χῖδρον χιδ sine dubio pro radice est accipiendum (cf. Benf. p. 193) et cogitari quidem potest inrepsisse ν in vocab. χόνδρος sicut in Τυνδαρεύς a rad. τυδ, ut genuina forma radicis χοδ sit statuenda, prope accedens ad stirpem χιδ. A verbis denominativis μαδά-ω et πλαδά-ω fluxerunt nomina secundaria μαδα-ρός ac πλαδα-ρός (glaber, uvidus) item φλυδα-ρός madidus a stirpe φλυδᾰ- .σκιδαρόν· ἀραιόν Hesych. falso in suspectum vocata vox a Semidtio vol. IV p. 44 pertinet a rad. σκιδ spargere; dispersa enim exilia sunt atque debilia; ductum est a stirpe statuenda *σκιδα-, cf. σκέδα-σι-ς, Similiter ψαδα-ρός vel ψαθαρός redeunt ad stirpes ψαδα- et ψαθα- cum notione fragilitatis. — κάνδαρος· ἄνθραξ Hesych. quod Legerlotzius ztschr. VIII (griech. etymolog. ἄνθραξ) recte refert ad rad. κανδ, lat. cand in candeo. α illud secundae syllabae pertineatne ad stirpem an euphonice sit insertum haud satis liquet. Jam in controversiam adducor contra Legerlotzium quippe qui dividat: κάνδ-Ϝαρ-ος pro suffixo vara ponens. Eodem modo vir d. ὀρθός ex *ὀρθ-Ϝός ῎Οθρυς ex *῎Ορθυς *῎Ορθ-Ϝυς esse depravata existimat, v. ztschr. VIII p. 45. vel καλλαρός fluxisse e καλ-Ϝαρ-ός, p. 123. Et ipse fatetur in suffixo Ϝαρ = Ϝατ Ϝαντ statuendo secutum se esse Kuhnii auctoritatem, quare cum illo potissimum disceptatio nobis oritur. Ait enim ille (ztschr. I p. 368) suffixum sanscriticum varî originem ducere a terminatione vant vat t in r mutato. Alio quoque loco (ztschr. IV p. 42) ostendit Kuhnius suffixa van vara varî eadem vi usurpata esse in nominibus formandis sicut in jitvan jitvara jitvarî, itvan itvara itvarî, naçvan naçvara naçvarî; itaque censet in graeca quoque lingua similem rem evenisse quum πίων feminino utatur πίειρα, cf. sanscr. pîvan pîvarî. Sed id ipsum quod masculini generis extat suffixum vara repugnat quominus πίειρα a stirpe *πιϜαντ ductum

habeamus; vel potius pro stirpe *πι-ερο- desideramus, sive πι-Ϝερο- si vara terminationem tenemus. Atqui teneri nullo modo potest, quonjam ne pîvan quidem et pîvarî voces sanscriticae redeunt ad stirpem pî sed ad pîv radicem, cf. Boeht. sanscritwoert. pars IV p. 749. 750. cf.: pîv-a pîv-in pîv-as, pîv-a-ra. Ipse autem de vocabulo πίειρα ita sentio: πίειρα cum epenthesi vocalis ι dictum est pro πίϜ-ερ-ια ut quam accuratissime respondeat sanscritico pîv-ar-î atque enormiter sequatur analogiam nominum in -τηρ formatorum, scilicet cum stirpe τερ, quae duplicem rationem ineant in femininis formandis: aut τρ-ια exhibent sublata vocali ε, aut τεριᾳ τειρα cf. ἀπειλητερ- ἀπειλήτειρα, πωλητερ- πωλήτρια. Et re vera restitui potest adjectivum mascul. generis πιερός (a substant. πῖϜος derivandum) quum e lingua sanscrita, cf. pîv-ará, tum e glossa Hesychii: πιερά· λιπαρά εὐδαίμονα πλούσια. Accedit quod nominibus in ων terminatis omnino desunt feminini propriae formae cf. εὐδαίμων, ἀπράγμων εὔδαιμον ἄπραγμον, item πίων πῖον carent feminino. Contra πίειρα quod vim spectat, arte cohaeret cum πίων, formatione longe est diversa. Sed etiam Benfeius in hac re vehementer errare videtur, qui in libro ztschr. VI p. 50 βλέφαρον, pro *βλέπ-Ϝαρον usurpatum esse doceat, item ψαφαρόν pro *ψαπ-Ϝαρόν, μακρός et μικρός pro *μαh-Ϝαρά et *μιh-Ϝαρά. Ut reliqua mittam, in voce βλέφαρον π litteram radicalem adspiratam esse ab insequenti ρ neminem fugit.

Inquisivit quoque B. parum diligenter in vocab. μιαρός (wurzellexicon I p. 476, II 217) utpote quod pro μι-Ϝαρός sit usurpatum. Non Ϝαρο, immo ρο suffixum additum esse stirpi μια- adprobant μιά-νjω μιαίνω, τὸ μία-χος. Vocem sanscr. mîvara nihil moror, quum origine tum significatione maxime alienam a μιαρός. Ergo intelligitur de suffixo vara in κάνδ-αρον adhibito non esse cogitandum quum omnino non usu venerit apud Graecos. Neque solum in vara terminatione perlustranda, sed etiam in aliis rebus hujusmodi (ex. gr. in suffixo mara, de quo infra verba faciam) viri illi illustr. profecti sunt ab opinione perversa necesse esse omnes formae quas Indorum sermo praebeat, et in graeca lingua reperiantur. βλαδαρός· ἄωρα, ὠμά Hesych., cf. βλαδάν· νωθρῶς; pertinet ad stirpem βλαδᾰ-, κλαδαρός fragilis ad κλαδᾰ-. De nominibus propr. Πάνδαρος atque Πίνδαρος num ad stirpes in α exeuntes sint referenda, an α in αρος suffixo mere sit euphonice insertum, plane dispici haud potest. ὕδερον· τὸν ὕδρωπα Hesych. ὕδ-ε-ρο-ν ductum a nomine ὕδωρ ὕδ-ατος abjecto suffixo primario ατ.

Pergo ad radices in θ terminatas. ἐρυθρός, quod commemoraverunt Pott. I p. 105, Curt. p. 391, Benf. II p. 125, Lottner, ztschr. XI (ausnahmen zur ersten lautverschiebung)

pertinet ad stirpem ῥυθ, quae ε vocalem protheticam adsumpsit; extant praeterea ab eadem radice ducta vocab. τὸ ἔ-ρευθ-ος atque ἐ-ρευθ-έω cum guna vocalis υ. — ἐλεύθερος, de quo Curtius fusius disputavit p. 436 ubi et varias sententias virorum d. de hac voce pertractavit quare ipse pluribus inquirere in eas supervacaneum habeo. Ac Curtius quidem acquiescit in interpretatione Etymologici Magni p. 329, 44 nempe ἐλεύθερον aliquem dici παρὰ τὸ ἐλεύθειν ὅπου ἐρᾷ. Dubito autem num de solo eundi libero arbitrio nomen sit impositum libero homini atque miror cur non in aliam eamque optime in ἐλευθέρου naturam convenientem deductionem inciderit quisquam: primum eum ἐλεύθερον fuisse dictum qui solutus esset a servitute, deinde vim generaliorem adscivisse sibi hoc vocabulum ut vel eos significaret qui ingenui essent atque liberis majoribus orti. Statuo igitur a rad. λυ- profectum esse ἐλεύθερος, adaucta vel τ determinativo sicuti in κλέπ-τ-ω, ἀϋ-τ-μή ἀ-τ-μός quod postea in θ abierit propter vim aspirativam litterae ρ, vel θ quemadmodum in ἄχ-θ-ος κλαυ-θ-μός καυ-θ-μός quod magis est veri simile; accessisse deinde ad stirpem ε illud protheticum, ut saepe fit in vocibus a liquida incipientibus. Jam pro stirpe ἐλυθ ponendum est, unde per ος suffixum, gunata vocali υ *ἔλευθος formabatur, cf. ρυθ ἐρυθ τὸ ἔρευθος.

Denique ab hoc substantivo per ερο terminationem derivatum est ἐλεύθερος. Itaque eos servos qui pecunia soluta sint liberati a jugo servitutis, antiquissimis temporibus ἐλευθέρους solutos profecto optimo jure esse appellatos censeo. Allusisse autem ad derivationem vocis ἐλεύθερος a radice λυ vel cohaerere aliquo modo λυ- et ἐλεύθερος inter se etiamtum Aeschylus sensisse videtur qui in Persis vv. 592. 593. ed. Dind. chorum haec facit loquentem: λέλυται γὰρ
λαὸς ἐλεύθερα βάζειν
ὡς ἐλύθη ζυγὸν ἀλκᾶς.

Ac valde memorabiliter adhibitum est vocabulum ἐλεύθερος in Iliadis libro sexto, v. 528 ubi haec extant:

αἴ κέ ποθι Ζεὺς·
δῴη ἐπουρανίοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσιν
κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισιν
ἐκ Τροίης ἐλάσαντες ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς.

Intellegitur ergo ex hoc loco nulla alia de caussa ἐλεύθερον dici illum κρητῆρα nisi quod Troja solvatur (λύεται) ab obsidione, contra nimis abhorrere eundi vim ab elocutione κρητὴρ ἐλεύθερος. Neque illud silentio praetermitti debet latinam vocem solutus (a stirpe lu λυ ductam) prorsus idem valere quod ἐλεύθερος liber. Bacchus quoque utroque cognomine celebratur et λυαῖος λύσιος, cf. Prell. mythol. I p. 529. 556 et

ἐλεύθερος· Διόνυσος ἐν Ἀθήναις Hesych. Qua re non solum affines esse has notiones sed easdem et pares et ab una stirpe profectas elucet. Praeterea saepissime Homerus verbo λύειν utitur ubi mentio fit captivorum in libertatem restituendorum: Il. Α, 20. παῖδα δ'ἐμοὶ λῦσαι τε φίλην; Il. Ω, 118. λύσασθαι φίλον υἱόν; Il. Λ, 106. καὶ ἔλυσεν ἀποίνων i. e: liberos reddidit. Itaque ἐλεύθερος fit qui λύεται.

σαθρός caducus puter marcidus, ap. Benf. I. p. 196 qui derivat a rad. ψαθ causa haud addita. Mihi autem σαπρός quod et idem significat »putidus« et imprimis »foetidus,« non segregandum videtur a σαθρός, ita tamen ut a rad. primaria σα per determinativa θ et π fictas esse stirpes σαπ et σαθ adgnoscamus. Patet etiam alia ratio qua unde originem ceperit σαθρός ostendi potest. Neque enim raro evenit ut ante ρ consonam cui vim aspirativam inesse satis constat, τ κ π litterae mutentur in θ χ φ adspiratione adsumpta. Fac igitur σαπρός, aliquando et cum leni declinatione σαφρός esse dictum. Quodsi Hesychius exhibet glossam hanc: ἐλαθρά· ἐλαφρά et Curtius p. 423. 434. pluribus exemplis in medium prolatis mutari nonnunquam inter se aspiratas probat, hac analogia innixus σαθρός pro σαφρός enuntiatum esse crediderim sed duas tantum formas σαπρός et σαθρός usu fuisse receptas, scilicet cum discrimime quodam significationis. Ceterum quod consonae ρ adspirandi potestas tribuitur animadversione magnopere est dignum omnium linguarum indogermanicarum graecam tantum sendicamque consentire in adspirandis litteris, iisque p t k per r subsequens, cf. Justi handb. d. Zendsp. p. 363. 364.: çuk çukhra, indoger. brâtar, send. brâthrô, kshup kshôiwra (etenim p in w fere abit). Contra d litterae neque in graeca neque in sendica lingua solet adspirare r, ut ante vidimus; testes sunt vocab. sendica: aredra udra khruzhdra etc.

ὄλεθρος pernicies ap. Benf. I p. 47 ductum vel a rad. ὀλε- unde et ὀλε-κ fluxit, per novum determinativum θ, vel suffixo τρο adhibito quamvis minus usitato quo nomina masculini generis finguntur, cf. δαι-τρός, ἰα-τρός et τ suffixi in θ mutato quod persaepe fit in nominibus cum τρα terminatione formatis, cf. κυλινδήθρα ἁλινδήθρα κυκήθρα κρεμάθρα κλήθρα κοιμήθρα κολυμβήθρα.

ὁ ὄρθρος crepusculum, tempus quo surgimus. Pono ad rad. sanscr. ar *r* cui surgendi vis inest, pro suffixo statuo θρο. Vix enim quisquam arbitretur redeundum nobis esse ad ὀρθός tanquam ad primarium, cujus nominis longe diversam esse originem satis probabiliter demonstravit Curtius p. 423. λάθρος· λαθραῖος Hesych., pertinet ad rad. λαθ in λανθάνειν. σκυθρός σκυθρωπός morosus stomachosus, refero ad rad.

σκυδ cum adspiratione litterae δ ἀνωμάλως usurpata; jam radix σκυδ extat in σκυδ-μαίνειν stomacho esse incitatum atque in σκύζομαι pro σκύδjομαι exacerbatum esse. Plane ad similitudinem vocis σκυθρωπός formatum videtur ἄνθρωπος pro ἄνδρ-ωπος, nostrum »mannsgesicht,« quam sententiam jam Curtius protulit p. 276. Sed in ea re discedo a viro d. quod ille θ habet consonam auxiliariam, pro δ magis usitato interpositam; at ipse δ antiquissimis jam temporibus accepisse adspirationem sentio ita ut δ fuerit prius (cf. ἀν-δ-ρός) θ posterius neque ullo modo putaverim has consonas ad libidinem mutatas esse invicem.

βλωθρός adolescens excrescens, de arboribus dicitur, ap. Curt. p. 483 Benf. I p. 101 Duentzer Ztschr. XII p. 6. Legerlotz Ztschr. VIII p. 45 qui falsissimam derivandi rationem sequitur βλωθρός et λιγυρός mutilata statuens e genuinis *βλωθ-Ϝαρ-ός et *λιγ-Ϝαρ-ός. Sed hunc nihil jam moror, verto ad Duentzeri opinionem quippe quae proxime ad verum adpropinquasse videatur. Ducit enim βλωθρός a rad. βλα quae invenitur in vocab. βλο-σ-υρός βλά-σ-τη, cum significatione »treibender lebenskraft« si licet ipsius verbis uti. Atque α vocalis per vriddhi in ω aucta est, θρο terminationis vice fungitur. νωθρός piger languidus, idem significat νωθής. Elucet ergo νωθ stirpem variis suffixis esse propagatam, quamquam Benfeio II p. 274 aliter placeat. Namque νωθής constare e νω et θης opinatur ille quidem, νω autem pro νη esse dictum ut compositum νηθής significet eum qui non currat, tardum. Qua in re illud fugit virum d. quod in compositionibus hujusmodi nuda fere forma radicis conjungitur cum praecedenti parte compositi, ut οἰστρο-πλήγ-ς, οἰκό-τριβ-ς; quapropter νηθύς expectari debebat quum θέω θέϜω per guna a rad. θυ esset formatum. Statuo derivationem a rad. ὀθ in ὄθη· φροντίς ὤρα Hesych. et in verbo ὄθ-ομαι· ἀλεγίζω curo: νωθ-ρός is est qui omnium rerum est incuriosus. Quod autem attinet ad contractionem η vocalis cum ο subsequenti in ω, compares quaeso νώδυνος ex νη et ὀδύνη, νώνυμνος ex νη et ὀνυμ- orta. τὸ τέρθρον extrema pars antennae, a Curtio p. 200 recte ad rad. τερ in τέρμα relatum; ipsa vox τέρμα jam finem significat vel terminum alicujus rei, θρο suffixi locum obtinet. βόθρος fovea scrobs, ap. Benf. II p. 66, Curt. p. 416. Secundum Curtii sententiam aut a βαθ radice (in βάθ-ος) profecta est haec vox aut ad stirpem latin. fod (fod-io) trahi potest quod mihi quoque probabilius videtur praesertim quum δ litterae quamvis raro, aliquando tamen adspiret consona ρ. σχεθρός σκεθρός astrictus artus, σχεθρός· τλήμων Hesych., duco a rad. σχε per θρο terminationem etsi Benfeium I p. 360 et Pottium II p. 597 trahere

hanc vocem ad aoristum homericum ἔ-σχεθ-ον non nescio. Offendo autem in eo ipso quod stirps illa σχεθ nunquam nisi in aoristi secundi modis reperiatur (cf. Krueger, gramm. ampl. II. p. 126) atque in eam malim sententiam ire singularem fuisse usum radicis σχεθ in aoristo neque cum veri specie nomina de hac stirpe esse deducenda. Et hoc quoque adminiculum extat opinionis meae quod σχε-δόν σχέ-σις σχε-ρός formae a mera rad. σχε originem capiunt. — σκόλυθρος humilis demissus decurtatus, ap. Curt. p. 155; recte ponit ad rad. σκολ per υ amplificatam, suffixum θρο statuit. Quodsi σκολ-ύπ-τ-ειν spectamus, unde fluxit σκολ-υφ-ρός· σκληρός Hesych., fortasse magis se commendet positio stirpis σκολ-υθ ut θ pro determinativo sit adhibitum, sicut π in σκολ-υπ-, sequente simplici suffixo ρο. Semper enim cavendum est ne suffixo quam consonam tribuamus quae stirpi vocis jure debeatur. Et quantopere valuerint in nominibus formandis litterae illae accessoriae, satis luculenter ostendit Max. Muellerus »vorlesungen ueb. d. wiss. d. spr.« p. 307 seqq. Quamvis autem quid sibi velit littera singularis perspectu sit difficilius tamen novi aliquid addi notioni primariae e significationibus verborum inter se discrepantibus facile cognoscitur: cf. yu yuj yudh yau*t*, mar marj μαρπ mard. ἡ αἴθρα coelum serenum a rad. αἰθ rite ductum, item ἐχθρός manavit a substantivo τὸ ἔχθος, tota terminatione primaria εσ deleta.

σταθερός stabilis firmus, reperitur etiam σταθηρός (sic Henr. Stephanus in thesauro s. v., at Dindorfius minime probat formam σταθηρός) a stirpe secundaria στα-θ derivatum, (cf. στα-θ-μός) cum ε adulterine inserto. Σπίνθαρος n. pr. viri, ap. Aristoph. av. 762; extant ab eadem stirpe σπινθ formata σπινθήρ et σπινθεύω σπινθαρίς scintilla; α ut cacophonia evitetur νθρ, est interpositum. καθαρός purus ap. Curt. p. 128; a stirpe καθ ductum per terminationem α-ρός primariam. κάνθαρος scarabaeorum genus quoddam, propter habitum incurvatum ita appellatum ni fallor; refero enim ad vocab. ὁ κανθός· ὁ τοῦ ὀφθαλμοῦ κύκλος Hesych. et ferrum scil. incurvum quo rota vincta est, cf. Quintil. 1, 5, 8. Quam ob rem κάνθαρος specie indutum est formationis secundariae et a κανθός originem cepit. ὁ κίθαρος· στῆθος πλευρά Hesych. cf. κίθαρος· παρά Δωριεῦσιν οὕτως ὁ θώραξ καλεῖται, Erotian. p. 213, ἡ κιθάρα cithara: redeunt istae voces ad rad. κιθ cui notio convexi et camerati tribuenda est, et per suffixum αρο sunt formatae. Nimis audacter Benfeius II p. 281 derivat a rad. χαρ et in comparationem vocat χέλ-υς testudo, sola significationis similitudine motus. ὁ πενθερός socer, pertinet ad rad. πενθ, sansc. bandh, pro *πενθρός dictum quo facilior reddatur pronuntiatio, cf. Curt. p. 236.

πικρός acerbus, ap. Curt. p. 150, Benf. II p. 79. Duarum radicum πικ et πυκ (πευκ-άλιμος) una est significatio. Et pro analogo affert Curtius lituan. pik-ta malus. Animadvertendum autem videtur vocab. πικρός solum esse testem radicis πικ in graeco sermone. μᾱκρός ap. Curt. p. 148, Benf. I. p. 91, II p. 339; referendum est ad rad. μακ unde cum guna α vocalis formatum est et μῆκος. Deinde cf. Grassmann ztschr. XII p. 95 qui eandem vim nempe extensionis atque ambitus adsignat radicibus μακ et μαγ (cf. μέγ-ας). Contra Benfeius ztschr. VI p. 152 principalem formam statuit *μαhϜαρά et καρο κρο suffixum ponit pro vara usurpatum; immerito namque v nunquam in k abit. μικρός ap. Curt. p. 622, Benf. I p. 469 duco a rad. mi in mi-nus μι-νύθω μι-νυρός et κ elementum formativum habeo. Etenim κ ad stirpem vocis trahendum esse intelligitur e forma dorica μικκός, quia κκος terminatio non invenitur vel potius ρ adsimilatum videtur litterae κ. Praeterea ad vocem μικρός vid. Tobler ztschr. IX qui duas radices statuit smî et sma, unde verba sanscr. smah et smal fluxerint. Refingi enim potest radix σμῑ e forma vetustiore σμικρός. — Τεῦκρος n. pr. pertinet ad rad. τυκ in τι-τύσκ-ομαι; itaque Τεῦκρος is est qui telo petit alqm. vel telum dirigit in alqm. Nam Teucrum sagittarium fuisse notissimum est et novum fulcrum adhibet huic etymologiae versus homericus Il. Γ 80: ἰοῖσίν τε τιτυσκόμενοι λάεσσί τ' ἔβαλλον, ubi τιτύσκομαι conjungitur cum voce ἰός. Reperitur etiam ap. Hesychium glossa huc spectans τεῦκρον· ποιητήν, ut videtur ad rad. τευχ parare instruere pertinens. ἀλυκρός· χλιαρός θερμός Suid., ἀλυκρόν· θερμόν ψυχρόν ἁλμυρόν Hesych., ἁλυκρόν (sic!)· ἀντὶ τοῦ θαλυκρόν Etymolog. Mag. 71, 29. ἁλύκιον· ψυχρόν ἢ χλιαρόν· οἱ δὲ ἁλμυρόν Etymolog. Mag. p. 70. E tot tamque diversis inter se interpretationibus nostrae vocis vix quae sit vera significatio ad certum possis dijudicare. Meo quidem judicio ἁλυκ- stirps est statuenda, a rad. ἁλ propagata; tum suffixa vel ρο vel ιο accesserunt et vis his adjectivis ἁλυκρόν et ἁλύκιον tribuatur oportet: salsus, ἁλμυρός. ἁλυκ-ός et ἁλυκ-ώδης vocabula eadem stirpe sunt usa. ἡ πέλεκρα· ἀξίνη Hesych., stirpem pono πελεκ- unde πέλεκ-υς quoque manavit, cf. Curt. p. 150 et Legerlotz, ztschr. VIII p. 45.

θαλυκρόν· λαμπρόν θερμόν Hesych. ap. Curt. p. 434, Benf. II p. 196. Equidem traxerim ad rad. θαλ (cf. θάλ-π-ειν) vel θερ unde per υκ syllabam formabatur, ut ἁλυκρός a rad. ἁλ. σαυκρός mollis tenuis, radicem pono σαυκ, memor Hesychii glossae: σαυκός· friabilis aridus, apud Syracusanos. ψαυκρός alacris celer, de quo Benfeius ztschr. VI p. 52 fecit verba. Derivat enim a rad. ψαύ-ειν tangere praestringere, suffixum

habet κρο e καρα contractum. Necesse autem est litteram κ radici adjudicari propter ea quod fieri non potuerit ut vara suffixum omnino non extans in lingua graeca mutaretur in καρα, sicut ante exposui. νεκρός ap. Curt. p. 148 fluxit a rad. νεκ, unde et νέκ-υς. ἡ ἄσκρα· δρῦς ἄκαρπος Hesych. quod recte comparat Benfeius I p. 220 cum voce ἡ ἄσπρος quae et ipsa quercum significat; ρα suffixi loco stat, κ abiit in π. Formae primariae in ερος terminatae haece inveniuntur: γλυκερός a rad. γλυκ cf. γλυκ-ύς, τακερός liquefactus a rad. τακ (in ἐ-τάκ-ην) Ἴκαρος n. pr. incertae originis. A nominibus derivata quoque extant nonnulla: διψακερός a δίψακος, λακερός a λάκος, Νίκαρος a νίκη, πλακερός a πλάξ, ῥάκελος a neutro ῥάκος.

Transitum nunc faciamus ad radices in λ exeuntes et primum quidem illud occurrit quod auditu Graecorum prorsus intolerabilis fuit conjunctio litterarum λρ. Qua de caussa semper vocalis aliqua (ε plerumque) interponitur inter has consonas a contactu mutuo abhorrentes. βαλαρούς a Cyrniis vocari exules tradunt e Pausania 10, 17, 9 (Henr. Stephan. sic); refero ad rad. βαλ in βάλλω, quae nonnunquam projiciendi notionem exhibet, cf. Soph. Ajax 1287; exules igitur projecti vocantur; α terminationis αρος mera est insertio euphonica.

μαλερός, est epitheton ignis apud Homerum usitatissimum, cf. Il. I 242 μαλεροῦ πυρός, Υ 316 μαλερῷ πυρί, item Φ 375. Jam quum igni omnia molliantur atque solidum in tenue vertatur, optime trahitur vocab. nostrum ad rad. μαλ in μαλ-ακός μαλ-θ-άσσειν emollire, cf. Max. Mueller vorlesungen etc. p. 311. Rectam esse hanc derivationem confirmat glossa Hesychii: μελερόν· μαραντικόν καυστικόν. Item huc pertinet μέλ-δ-ει· τήκει Hesych. σφαλερός qui lapsat inter eundum et titubat. a rad. σφαλ ductum cf. ἐ-σφάλ-ην. γαλερόν et γαληρόν· ἱλαρόν εὔδιον ἥσυχον Hesych. cf. γαληνόν (Hes.) cum eadem signific. et γελεῖν· λάμπειν ἀνθεῖν; dirimendi caussa consonas λ et ρ modo ε modo η vocalis auxiliaria adhibebatur, pro stirpe γαλ ponendum est cum vi splendendi atque florendi, cf. Curt. p. 158. 159. κύλλαρος pagurorum genus testa carens; vulgo σκύλλαρος legebatur ap. Aristot. H. A. 4, 4. refero ad verbum σκύλλ-ειν i. e. σκυλ-jειν deglubere, pellem detrahere. Inter formationes secundarias numero δαλερός θολερός κολερός ῥοδαλός Σάλαρος Φίλαρος Φύλαρος χολέρα derivata a stirpibus δαλο- θολο- κολο- ῥοδο- σαλο- φιλο- φυλο- χολο-: θαλερός ducendum est a τὸ θάλος. Contra nomina χαλαρός ἱλαρός τάλαρος ut mihi videtur a verborum stirpibus χαλα- ἱλα- ταλα- sunt deducta.

Ut λρ ita conjunctio litterarum μρ parum fuit grata idiomati sermonis graeci. Itaque duplici ratione dissonam hanc consonarum complexionem lenivit lingua: aut β inseruit post m aut ε, quin etiam utrumque admisit in una voce cf. ἡμ-έρα et μεσ-ημ-β-ρία. Primum autem occurrit vocab. γαμβρός, quod jam dudum viri d. recte ad rad. γαμ retulerunt, cf. Curt. p. 64. 161. 464. Euphonice β est interpositum, ut haec series litterarum μβρ oriatur facillima enuntiatu quam supra quoque vidimus formatam et alia quidem ratione quum μ ante βρ adderetur. Gravior nobis existit quaestio de voce ἡμέρα cruce illa etymologorum. Inquisiverunt in eam Ahrensius ztschr. III p. 167, Savelsberg ztschr. VII p. 380, Kuhn ztschr. IV p. 42, Christ lautlehre p. 153, Curtius grundzuege p. 525, alii. Et quamquam magna sagacitate sunt usi viri d. in etymo indagando nostri vocabuli facere non possum quin omnes interpretationes rejiciam adhuc prolatas. Etenim terminatio illa μερα mara e lingua sanscrita petita atque translata in graecam linguam a Kuhnio ac Curtio, certis exemplis comprobari non potest; ne ἵμερος quidem vocab. per suffixum μερο est formatum. Alio quoque argumento firmatur opinio mea, nempe forma jam commemorata μεσ-ημ-β-ρία quae aperte docet ἡμ- pro stirpe esse ponendum. Quod attinet ad derivandum ἡμέρα vocab. a radicibus us et div nullius esse pretii mihi videtur de hariolationibus istiusmodi plura disserere. Contra alicujus momenti sunt quae Ahrensius monuit de cognatione verborum ἦμαρ et ἡμέρα his fere verbis: »vielmehr denke ich, dass ἡμέρα und ἦμαρ nur eine zufällige Aehnlichkeit des suffixes haben und in wahrheit ganz unabhaengig von einander sind. Dafuer spricht auch, dass ἦμαρ wie scr. ahar gar keinen rest des urspruenglichen consonantischen anlautes behalten hat, waehrend in ἡμέρα der spiritus asper als solcher zu betrachten ist.« Deinde a forma feminini ἡμέρα confugere licet ad masculinum ἥμερος sicuti ab ἑσπέρα ad ἕσπερος. Neque quisquam in eo offendetur quod adjectivum duorum generum est ἥμερος quonjam ἡμέρα femininum non prorsus est inusitatum, cf. ἡμέρα· Ἀρτέμιδος ἐπίθετον Hesych. et cf. Pind. Nem. IX 105.

. . . . τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁμέρα.

Sane perapte dies dicitur ἡμέρα cui νύξ est contraria fera et immitis. Saepissime autem cognomen ὀλοή nocti datur, item κακή μέλαινα, et διὰ τὴν δεινότητα voltus Hectoris cum nocte comparatur in Iliadis M 463. Νύξ et δειδία vocatur διὰ τὸ δεινὸν καὶ φοβερὸν αὐτῆς καὶ μὴ ἥμερον unde apparet jam veteres veri aliquid sensisse. Contra Hemerae sic fit mentio ap. Eurip. Tro. 848: τὸ τᾶς λευκοπτέρου Ἁμέρας φίλιον βροτοῖς φέγγος. Et apud Hesiodum quidem Dies vocatur filia Noctis

simul cum Aethere, cf. Theogon. v. 124 ed. Goettling. quo loco apparet dirae et terribili nocti opponi diei lucem claram et benevolam mortalibus. Jure igitur Hemera appellatur dies i. e. mitis et placida. Quaeritur nunc quid sit etymon vocis ἥμ-ερος. Sine dubio autem ἡμ- pro stirpe ponendum est, vel ἁμ- quod bene conferri potest cum radice sanscr. yam, ap. Boehtlingk woerterb. pars IV p. 64 cohibere domare sedare ut ἥμερος sit sedatus mansuetus cicur, cui oppositus est indomitus, agrestis; cf. Odyss. ο 161:

αἰετὸς ἀργὴν χῆνα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον
ἥμερον ἐξ αὐλῆς.

Displicet haec derivatio per se facillima ob id potissimum Curtio (p. 339) quod pro y radicis yam in vocab. ζημ-ία ζ sit positum. Attamen interest aliquid inter notiones harum duarum vocum ζημία et ἥμερος quamvis ab una stirpe sint profectae, atque optime convenit in significationum discrepantiam diversitas aliqua formae. Nam facile cogitari potest variis mutationibus affectam esse litteram genuinam, cf. ἁνδάνω ἥδ-ομαι ἄσ-μενος et rad. sansc. svad, deinde ζόφος γνόφος δνόφος κνέφας quas, si Curtium p. 634 sequimur, formas ad unam rad. scr. skap referemus. Χειμερ-ινός hibernus, δυσχείμ-ερος originem capiunt a stirpe χειματ- extincta syllaba ατ; huc etiam χείμαρος traho quod secundum Proclum »εὐδιαῖος« significat. Legitur apud Hesiodum opera v. 626:

χείμαρον ἐξερύσας ἵνα μὴ πύθῃ Διὸς ὄμβρος.

μέρμερος morosus μέρμερα· φροντίδος ἄξια Hesych., cf. praeterea ἡ μέρμηρα cura, ap. Hesiod. theogon. v. 55 et verbum μερμαίρειν i. e. μερμάρjειν i. q. μερμηρίζειν. Curtius p. 296 vult geminatam esse radicem μερ in μέρμερος et vocabulum μέριμνα in judicium vocat quod sic dividit μέρ-ι-μνα, μνα suffixum ponens e μενο correptum et analogias affert e lingua latina col-u-mna, al-u-mnus, e graeca μέδ-ι-μνος. Jam quum μενο μνο sit terminatio participii praesentis et ad verbum tantummodo spectet, num cum μερ radice unde verba non fluxerint, conjungi potuerit, ambigitur. Quodsi consideramus in fine vocabulorum conjunctionem litterarum μν varia ratione effici per suffixum νο, vel β in μ mutato, cf. *σεβνός σεμνός, vel φ cf. *ὕφνος ὕμνος, vel quod saepissime eveniat, proposita stirpe in μ exeunte cf. νώνυμνος et ἀνώνυμ-ος, item πρύμ-να πρυμ-νός extremus et πρέμ-νον fundamentum, προθέλυμ-νος et θέλεμ-νον, deinde antiquissimam esse formam μέρμηρα et ad liberum arbitrium linguam tum ερο tum ηρο suffixum adhibere eo consilio ut dirimantur consonae dissociabiles μ et ρ, unde sequatur ut μερμ stirps sit ponenda, legi denique apud Hesychium μέρμνης· τρίορχος accipiter, item apud Aelianum

H. A. VII, 4 μερμνός cum eadem significatione quod et ipsum stirpem praebeat μερμ, magis fortasse adridebit nobis derivatio vocabuli μέριμνα a rad. μερμ h. e. a rad. μερ per μ adaucta, cf. μάρ-τ-υρ ab eadem stirpe per aliud determinativum ductum. Quo melius sonaret vox nostra loco *μέρμνα μέριμνα est dictum. Nec scio an vox μέρμηρα cum majore probabilitate referatur ad stirpem μερμα- unde et μερμαίρειν manaverit vel μερμ-ά-ρ-jειν cf. μεγαίρω a stirpe μεγα-, ἐχθαίρω ab ἐχθα- vide ἔχθημα. Utut res se habet μερμ radicem primariam tenere debemus.

Πρόμερος Σίμαρος τρομερός redeunt ad stirpes in ο desinentes προμο- σιμο- τρομο-. Nihil certi compertum est de origine vocis χίμαρος. Benfeius II p. 193 a suffixo μαρο profectus arbitratur δ excidisse post ι. Erravit vir d. in statuendo hoc suffixo, alioquin facile fieri potuit ut δ tolleretur ante ρ, cf. χλᾱρός a rad. χλαδ derivandum.

De nomine ἵμερος desiderium scripserunt Aufrecht ztschr. I p. 480, Benf. I p. 15, Curtius p. 359. Etiam hanc vocem per suffixum μερο jam supra rejectum esse formatam opinatur Curtius. Remota autem terminatione ερο remanet stirps ἱμ, nisi forte ut χείμ-ερος a χειμ-ατ ita ἵμ-ερος a stirpe obsoleta *ἱμ-ατ (nominat. *ἷμα) est profectum.

Radicem ponit Curtius ἰς (p. 359) cum notione optandi et derivat ab ea Ἰσ-μήνη Ἰσ-μηνός Ἴσ-μαρος. Et hoc quidem libenter illi concesserim in voce ἵμερος σ evanuisse ante μ, cf. ἧμαι pro *ἧσμαι, sed dubitationem mihi movet non parvam spiritus asper ne in dialectis quidem omissus in vocab. ἵμερος. Notissimum autem est mendose studiosam fuisse linguam graecam adspirandi vocales inadspiratas initio verborum extantes neque tamen certam regulam secutam esse in admittendo hoc vitio, sed in uno eodemque vocabulo utrumque fecisse. At mira cum regularitate addiderunt Graeci voci ἵμερος asperum spiritum ut vix persuadere mihi possim per mendum linguae effectam esse istam scripturam tam constantem. Itaque eo adducimur ut accurate distinguamus inter rad. ἰσ, ἰότης Ἰσμήνη etc. et inter ἵμερος. Equidem satis habeo docuisse μ litteram alienam esse a terminatione item spiritum asperum esse principalem. Ipsius radicis ἱμ originem non contigit mihi ut expedirem. ἡ καμάρα camera, foramen auris a Curtio p. 130 ductum a rad. κμαρ, sanscr. kmar, cum specie verisimilitatis quamquam conjunctio litterarum κμ per se non intolerabilis est, cf. κμητά· πεποιημένα Hesych. Tamen pro certo non habuerim hanc etymologiam quum trium linguarum consensu satis probabile sit καμ radicem esse ponendam, αρα suffixo tribuendum, cf. graec. καμ-άρα send. kam-ara latin. cam-urus. κάμ-πη quoque eruca huc pertinet, quantum

equidem judicare possum, per π determinativum propagatum a rad. καμ cui incurviscendi notio est propria. Denique commemorandum est δυναμερός, a stirpe δυναμι- derivatum et pro *δυναμρός dictum. Namque excidisse ι in δυναμι- neque in ε abiisse ut hac ratione terminatio ερο existeret colligi potest ex eo quod nunquam fere ι in ε mutatur. Similiter θέμερον· σεμνόν et θεμέρη· βεβαία σεμνή εὐσταθής Hesych. duco a nomine θέμις, cum stirpe θεμιδ- nec non θεμι- (cf. Herod. 2, 50 et accusat. vulgo θέμιν).

Jamjam venimus ad radices in ν exeuntes. Collisio quum fit litterarum νρ aut ν adsimiletur consonae ρ necesse est aut vocalis aliqua interponatur inter ν et ρ. Et nomina quidem in ρο terminata sine ulla exceptione utebantur vocali auxiliaria α vel ε. ἔνεροι inferi equidem duco a praepositione ἐν sicut ἔν-δον ἐν-τός; id unum interest inter has formas et illam quod ε littera euphonice inserta non egebant quibus erant terminationibus instructae. Idcirco non video cur Benfeius II p. 48 θ statuerit omissum in ἔνεροι cui genuinam formam vertit *ἔνθεροι quo magis respondeat latino inferi, sanscr. a(n)dhara. κύναρος (ἄκανθα)· φυτόν τι. καὶ μήποτε ἡ κυνόσβατος, διὰ τὸ τραχὺ καὶ ἀκανθῶδες· κύνα γὰρ ξυλίνην τὴν κυνόσβατον Θεόφραστος λέγει Hesych. pertinet at stirpem κυν (nomin. κύων) unde per α-ρο est formatum. Pari modo μυναρός· σιωπηλός Hesych. fluxit a rad. μυν quae continetur quoque in μύνδος· ἄφωνος Hesych., item οἴναρον ab οἶνος derivatur. A nominibus in εσ desinentibus σθένος σίνος γάνος sunt profecta σθεν-α-ρός σιν-α-ρός γαν-ε-ρός. Forsitan huc trahi debent Ταίναρος nom. promontorii Τάναρος nom. urbis. Restat φανερός manifestus, ad rad. φαν referendum.

Perperam, puto, Savelsbergius ztschr. XVI p. 65 κοναρόν· εὐτραφῆ πίονα δραστήριον Hesych. censet originem ducere a *συναρόν neque apud Hesychium neque apud alium scriptorem repertum; item contra codicum auctoritatem mutat accentum. Recte autem jam M. Schmidtius vol. II p. 512 monuit: »δραστήριον indicio est vocabulum derivandum esse ab intermortuo κονεῖν famulari.« Per eandem metaphoram ἀκονιτί significat sine labore aliquid effici, et latinum »sine pulvere« idem valet quod »sine virium contentione«. Neque magis adstipulari possum Savelsbergio in iis quae de etymologia voc. ὅμηρος ὁμαρές protulit. Composita enim habet e praepos. ὁμοῦ et radice ἀρ, quem in errorem et Curtius incidit p. 305. Contra Holzmannus ztschr. I p. 489 sane bono judicio utens docet prorsus nullo modo fieri potuisse ut ex ὁμοῦ et ἀρ ὅμηρος fingeretur. Ipse comparat n. pr. sanscr. Samâsa unde Σάμησος Ὅμηρος sint profecta. Et in hac argumentandi ratione

duae res praeterierunt virum ill. nimirum quod abripitur fere s indogermanicum inter duas vocales extans in lingua graeca, deinde quod perpaucae voces sanscriticae jam certa nominis forma expressae et graecae inveniuntur eadem specie indutae ut dyaus et Ζεῦς. Equidem adjectiva in ήρης terminata duci a nominibus in ηρός exeuntibus per suffixum εσ jam saepe animadverti, cf. ἰσηρός ἰσήρης, κατηρός κατήρης pendens (a praeposit. κατά ductum) κλινηρός κλινήρης, κωπηρός κωπήρης, λεχηρός λεχήρης, μεσσηρός μεσσήρης, πενθηρός πενθήρης luctuosus, πισσηρός πισσήρης, στιχηρός στιχήρης; tum constat omnia illa nomina in ηρός desinentia derivata esse a stirpibus in α terminatis κωπα- κατα- κλινα- πισσα- στιχα- etc. quare non dubito ὅμηρος ὁμήρης reducere ad stirpem ὁμα- vel ἁμα- cf. ἅμηροι· ὅμηροι Hesych. Leguntur praeterea apud Hesychium vocabula ab eadem stirpe formata ὁμήθεα· συνήθη; ὁμηγόροι· ἰσάγοροι; ὁμηλικίη· τῆς αὐτῆς ἡλικίας. Neque minus refero ad stirpem ὁμα-: ὅμα-δος· ἄθροισις; ὁμα-λόν· ἴσον, ἰσόπεδον Hesych.

κάπρος ap. Curt. p. 131 Benf. I p. 269 Foerstemann ztschr. III p. 46, aper, ductum a rad. καπ fremere anhelare:

κόπρος fimus, ap. Curt. p. 131 Savelsberg ztschr. XVI p. 56, quorum alter ad radicem καπ refert (C), alter cum voce sanscritica çakṛt comparat quae significat »excrementa.« Jam quum significationes horum vocabulorum proxime accedant inter se et sanscriticum ç e κ, graecum π e k indogermanico facile potuerit originem ducere malim in Savelsbergii partes ire et genuinam radicem κακ statuere.

λεπρός scabiosus, apud Benf. II p. 4 derivatur a radice λεπ decorticare desquamare, unde λεπτός quoque fluxit. λυπρός aerumnosus, pertinet ad radicem λυπ, cf. Curt. p. 240.

ἡ ἀντόπρα genus speculi quod obvertitur, redit ad rad. ὀπ cf. Curt. p. 407. κύπρος· κεφάλαιον ἀριθμοῦ Hesych. a rad. κυπ derivatum quae cohaeret fortasse cum vocab. κύβ-η· κεφαλή. Simili modo emolliebatur π in β in vocab. ὕβρις a rad. ὑπ (ὑπέρ) deducto. λαμπρός splendens, aperte ductum a rad. λαμπ, cf. Curt. p. 240. ἕσπερος ἑσπέρα vespera, more sueto si terminatio ερο adimitur, stirpis locum obtinet ἑσπ-, vel Ϝεσπ ut Ahrensius demonstrat (de dialecto aeol. p. 32). Curtius autem p. 338 formam primariam statuit vas-kara-s, Benfeius II p. 208 divas-para-s ob eam tantum caussam quod quid sibi vellet ερος suffixum parum intellexerunt. Jure igitur respuendae videntur etymologiae modo dictae, reducimur ad stirpem vesp sive vesk si rationem habemus lituan. vákaras. Vesk autem radix sine difficultate a vas derivari potest, videlicet per κ determinativum, denique vas-a-ti vasati vox indica et ipsa noctem significat.

λιπαρός pinguis, ἡ Λιπάρα n. pr. insulae Aeoliae redit ad rad. λιπ unde et λίπος et λίπα accusat. sunt profecta. λαπαρός· ἰσχνός ὑπεσταλμένος Hesych. λαπάρας· κοιλίας ἐκκεκενωμένας idem, cf. ἀ-λαπ-αδνόν· ἀσθενές Hesych., manaverunt a radice λαπ cui vacui et inanis vim adsigno, cf. λαπάξαι· κενῶσαι ἀφανίσαι Hesych. item ἀλαπάξαι. ὕπερος pistillum, quod ad formam attinet stricte respondet latino superus; utrumque ad rad. ὑπ pertinet, cf. Curtius p. 261, Benf. I p. 284. τὸ ῥόπαλον clava, apud Curt. p. 314 a radice ῥεπ, Ϝρεπ ductum; usurpabatur pro *ῥόπαρον ut videtur propter ρ consonam praecedentem. ῥυπαρός sordidus, ad substantivum ῥύπος referendum, per α adulterinum formatum; occurrit et verbi thema ῥυπα- cf. ῥυπᾶν unde fortasse originem duxit ῥυπαρός· σιπαλός vel σιφλός mancus debilis, redeunt ad stirpem σιπ. Ne σιπλός efferretur aut α est intrusum inter consonas πλ aut π adspiratione adficiebatur.

γεραρός honorandus venerandus, Il. Γ 170. Thema pono γερα- neque a stirpe nominis γερα(τ)- profectum esse vocab. nostrum existimo. Extant praeterea a themate γερα- ducta γεραός i. q. γεραιός, γεραλέον· γέροντα Hesych. si recte huc trahuntur. Discrimen enim facit Curtius inter radicem γερ unde γέρων manavit et inter γερ quo spectat γέρας, cf. grundzuege p. 108. 161. 418., immerito ni fallor. Namque venerabile quoddam inesse senectuti quum apud homines nostri aevi tum apud antiquos erat opinio divolgatissima. Itaque antiquissimis temporibus senibus nomen esse datum honoratorum vel ornatorum propter peritiam omnium rerum et annorum auctoritatem peractorum facile crediderim. Ergo radici γερ honorandi vim tribuo, γέρας autem id est quod honoris caussa donatur, γέρων honoratus. Neque abhorret ab hac interpretatione glossa Hesychii γεραιῶν· γερόντων ἐντίμων item γέροντες· ἔντιμοι, γερούσιον· τὸ τοῖς ἐντίμοις κατὰ γέρας διδόμενον.

εἴρερον· δουλείαν Hesych., legitur apud Homerum Od. ϑ, 528: οἱ δέ τ'ὄπισθεν

εἴρερον εἰσανάγουσι, πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζύν.

Derivo a radice εἰρ, εἶραι· συνόψαι συρράψαι Hesych. Euphonice ε inserebatur ut distraherentur litterae ρρ. χαράρα· κεφαλή Hesych.; emendavit M. Schmidtius vol. II p. 411 in κάρα, deleto priore αρ, Ruhnkenius mavult κραῖρα. Uterque ordinem alphabeticum violenter confundit, sequor equidem fidem codicis ubi inter χάραξι et χαραρύες legitur haec glossa falso suspecta. Patet autem χαράρα a themate κάρᾱ esse deducendum et adjectivi vice usurpatum esse. ὀξερίας· τυρὸς ἀχρεῖος Hesych. ὀξηρός ad acetum pertinens. Habemus igitur vel *ὀξερός vel ὀξηρός derivata a themate ὀξεσ (no-

minat. ὄξος acetum) postquam terminatio primaria εσ evanuit. Id ipsum quod promiscue modo ε modo η interponitur, ostendit meram esse intercalarem hanc vocalem, omnino non ad thema trahendam. ἱερός ἱαρός »ejusque derivata in inscriptionibus boeoticis aliisque monumentis dialecti aeolicae« teste Dindorfio in Stephani thesauro s. v. Ἱαρός forma dorica in inscriptione delphica ap. Boekh., corp. ins. vol. I p. 807.

Deest spiritus asper in Ἰάρον i. q. Ἱέρων in antiqua inscriptione Theraea, secundum Ahrensium, de diall. graecis p. 26. Atque dialectus homerica quidem semper exhibet ἱερός cum spiritu aspero insignitum.

Praeeunte Kuhnio (Ztschr. II. p. 274) Curtius Ztschr. III p. 154, grundzuege p. 358 ἱερός per dissimilationem esse ortum ex ἰιρός censet ut quam accuratissime comparetur cum voce sanscritica ishiras quae idem significet. Radicem statuit is, sanscr. ish, itaque spiritum asperum non genuinum sed recentioris aetatis habet proprium. Qua in re multum abest ut conspirem cum viro ill. Primum enim in omnibus dialectis reperitur vocalis ι aspere spirata, leniter praeter illud genus spirandi sola in aeolica; deinde antiquitatis speciem prae se ferre spiritum asperum quum ex usu homerico tum e titulis intelligitur. Unde sequitur ut s vel digamma extiterit aliquando loco asperi spiritus. Praefero per digamma derivatam radicem Ϝις, ut ἱερός pro *Ϝισερός *Ϝισαρός sit usurpatum. ε enim vocalis eodem munere fungitur quo i sanscriticum, nempe ut s et r dirimat in *Ϝισρός et *ishrás. Deinde quod hiatus admittebatur in vocabulo graecoι-ερός certo est indicio extitisse olim σ post ἱ-. Venio nunc ad significationem primariam nostrae vocis statuendam. Recte jam Curtius demonstravit praeter vim »sacer« et roboris notionem inesse in ἱερός. Mea opinione non solum secundaria sed genuina et primaria fuit altera ista notio »validus, firmus et ob id magnificus insignis.« cf. Ρ 464 ἱερῷ ἐνὶ δίφρῳ; Σ 504 ἱερὸν ἰχθύν Π 100 Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα, ω 81 Ἀργείων ἱερὸς στρατός, Λ 726 ἱερὸν ῥόον Ἀλφειοῖο, Σ 504 ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ etc.

Notum quoque est ἱερός esse commune epitheton omnium urbium clararum. Quodsi quaerimus quaenam exhibuerit e numero cognatarum linguarum radicem vis, obviam nobis venit latinum vis, genitiv. virium loco *vis-ium quod vigorem significat. Quamquam Curtium p. 349 vocem vis conferre cum graeca ἴς Ϝίς, profectum a radice graecolatina vi non nescio. Manifestum autem est vocabuli Ϝίς thema esse Ϝιν (cf. plural. ἶν-ες, et ἶν-ίον), evanuisse ν ante σ signum nominativi, contra radicem latinam vis omnino sejungendam esse a graeca

Ϝιν praesertim quum nectendi notio quam Curtius genuinam habeat aliena sit a stirpe lat. vis.

Lubet quoque affere δροσερός a nomine δρόσος, μυσαρός μυσερός a substantivo neutro μύσος ducta, cf. Benf. I p. 284. Huc et κρυερός frigidus traxerim tanquam a radice in σ terminata profectum. Aliter sentit hac de re Curtius p. 143 quum pro stirpe ponat κρυ unde κρύ-ος fluxerit. Quod minime credo, extant enim vocab. κρυσ-ταίνω κρύσ-ταλλος, latin. crus-ta quae notionem principalem habent eandem quam κρύος. Deinde hiatu in voce κρύος fit verisimile *κρύσος aliquando esse elatum, item *κρυσερός ε interposito dissociandi caussa litteras σ et ρ; quod ni ita esset, sine dubio *κρυρός forma per se tolerabili usi essent Graeci tollendo suffixum εσ ante ρο ut assolet.

Transitum nunc facio ad radices in digamma exeuntes quantum conici potest. δαερόν· τὸ καιόμενον Hesych. δαηρόν· θερμόν καυματηρόν idem. Jam quod modo protuli argumentum hoc loco repetam necesse est. *δαρόν quominus enuntiaretur certe nihil obstitit; eo igitur adducimur ut aliam rationem requiramus litterae ε vel η. Extat revera, si Hesychii glossam respicimus δεδαυμένον· περιπεφλεγμένον unde facillime radicem δαυ δαϜ elicias. Et aptissime Curtius p. 208 attulit vocem sanscriticam dava »calor ardor.« Euphonice tantummodo ε vel η inter digamma et ρ interponebatur ut pro *δαϜρόν modo δαϜερόν modo δαϜηρόν diceretur. Idem evenit in vocabulis πιερός νεαρός νοερός quae redeunt ad radices πιϜ νεϜ νοϜ (pro γνοϜ), cf. Curtius pagg. 163. 282. φαερός manavit a nomine φάϜος. Deinde forma duplex reperitur: χλοερός χλωρός viridis, scilicet a χλόος ducta. Ac Curtius quidem p. 184 provocans ad latinum flâvus χλο radicem ponit, suffixum Ϝο itaque χλοερός refert ad thema χλο-Ϝο; etymologia sane ambigua neque sine haesitatione probanda. Terminatio enim va Ϝο quod ad graecum sermonem spectat confirmatur uno adhuc exemplo indubitato nempe νεῦρον pro *νέρϜον (cf. Curt. p. 283). Qua de caussa malim radicem χλοϜ statuere, latine flav quam per digamma esse determinatam e radice principali χολ χλο haud abnuo. Denique habemus γοερός γοηρός a themate γοϜο ductum; neque dubitavit Curtius hoc in nomine digamma radici tribuere, quum recte e ceteris linguis huc referret latinum bov-âre, slavicum govoru, cf. p. 419.

ἀλιτρός homo impius, peccator ap. Benf. I p. 56. Curtius autem hujus vocis expressis verbis non facit mentionem, sed pluribus locis (cf. adprime p. 606. 619) thema ἀλιτ refert ad radicem ἀλ in ἄλη ἀλᾶσθαι errare, τ determinatio addito. Sed

de eo non cogitavit quod radicis ἀλι- primariae nusquam nec vola nec vestigium extat, contra semper ι cum τ reperitur conjunctum, cf. ἤλιτ-ον ἀλιτ-αίνω. ἀλιτ-ήμων. Accedit quod et guna et vriddhi adhibetur vocali ι nempe in vocabulis ἀλείτης ἀλοίτης id quod in graeca quidem linguae nunquam nisi in ι radicali fit, ut in radice πιθ πείθω πέποιθα. Quare λιτ radicem pono, de α ante addito nihil certi proposuerim quum longe respuam Benfeii Pottiique (cf. etymolog. forsch. I p. 219) sententiam quippe qui a radice *r* ar participium *r*ta derivando atque an syllabam privativam statuendo an*r*ta vocem sanscriticam arte cohaerere arbitrentur cum graeca ἀλιτρό-ς. Primum enim in significationis discrepantia offendo quonjam an*r*ta is est qui mentitur, qui peccat ἀλιτρός et multo generaliorem esse peccandi notionem quam mentiendi patet, ut comparari vix possint haec verba. Tum ab adjectivis verbalibus in -τός terminatis per ρο suffixum nomina non formantur quod equidem sciam. Ipse incidi in aliam conjecturam : haud alienum videtur a nostro themate ἀλιτ illud ὀλιτ verbo ὀλισθάνω ὀ-λιτ-θ-άνω (cf. Curt. p. 330) subjectum, quum formae tum notionis respectu. Nam labendi et errandi peccandive notiones esse vicinas ut ita dicam ac finitimas facillima metaphora adhibita ipsum verbum latin. labi demonstrat, quo utraque res notatur.

Praeterea a propria significatione transferri hanc radicem ad quemvis lapsum et corruptionem omne genus docent derivata ὀλισθηρός ὀλίσθησις ὀλίσθημα. Jam verto ad glossam Hesychii λιτρόν· κακόν. Sic legitur in codice, quam lectionem quum parum quid sibi vellet perciperent Musurus et Schmidtius corrigendam putabant in λιτρόν· κακῶν (M.) sive in λίτρον· κακῶν ἀναιρετικόν (Schm.) videlicet pro λύτρον accipiendum. Mea opinione λιτρόν et ἀλιτρόν idem valent atque ut in vocabulo λιτρόν abreptam videmus vocalem protheticam ita γλί-σχρως (i. e. γλίτ-χρως)· ὀλισθηρῶς praebet meram radicis formam sine sono accessorio. Ceterum quod attinet ad vocalem ο in ὀ-λισθάνω meam facio Curtii sententiam (p. 365) utpote qui ο littera compensari autumat γ nunc omissum sicut ο in ὄνομα pro *γνόμα (cf. co-gnomen). Ergo genuina forma radicis γλιτ statui debet. Eadem est ratio vocalis α in ἀλιτρός quae supra litterae ο in ὀλισθάνω.

Sequuntur νοτερός σκοτερός οἰκτρός ad themata νοτο- σκοτο- οἰκτο- pertinentia, κρατερός redit ad stirpem κρατεσ, fortasse et κύτταρος i. q. κύτος cavum cavitas ad stirpem κυτεσ, facile enim geminatur littera inter duas vocales correptas posita. Deinde extant praeter ἑταῖρος ἑταίρα etiam ἕταρος ἑτάρα formae quibus deest suffixum secundarium ιο in *ἑτάρjος; ἕταρος autem profectum est a radice ἑτ cui ἔτ-ης quoque ad-

scribitur a Curtio p. 616. Denique ex voce νυκτερός perspici potest quanta sit inconstantia linguae in usurpanda terminatione nostra. Illud enim certissimum est νυκτερός referendum esse ad thema νυκτ et potuit dici sine dubio *νυκτρός (cf. οἰκτρός) Lenire autem consonarum concursum maluit lingua quam ob rem inseruit ε euphonicum.

ζητρός· δημόκοινος Hesych. carnifex, cf. ζητρεῖον· τὸ τῶν δούλων κολαστήριον Hes. Curtius p. 551 statuit radicem communem yam unde ducta sint et ζημ-ία et ζη-τρός μ littera nasali dirempta ante τρο, quod quemadmodum fieri posset nullo modo ostendit vir cl. At Benfeius I p. 686 non sine cunctatione refert nostram vocem ad rad. ζητ in ζητέω; in altera parte lexici radicum p. 365 praefert derivationem a rad. ζεμ punire quamvis radix istiusmodi non inveniatur. Porro genuinam habet formam *ζημτρεῖον ratus μ ante τ excidisse sicut in vocab. ἐπιβήτωρ a rad. βαμ ducto; perperam, etenim a radice βα fluxit βήτωρ. Vocis autem ζητρεῖον variae formae leguntur ut ζήτρειον ζήτριον ζώτριον ζάτριον, ut difficile sit cognitu quaenam et genuina fuerit et usitatissima. Fortasse per οι terminationem valde tritam ducta est illa vox ζήτριον a ζητρός de quo quaestionem instituimus. Nota sunt dignae Hesychii glossae haece: ζητόρων· ζητούντων, et ζίεται (videlicet ζήεται vel ζεί-εται). ζητεῖται e quibus conligere licet extitisse aliquando radicem ζε. Neque adversantur exempla duo ex epica lingua petita: δαί-τωρ et δαι-τρ-ός ἰη-τήρ ἰη-τρ-ός, ni fallor eandem rationem sequebatur ζή-τωρ et ζη-τρ-ός.

Existimo igitur radicem ζα i. e. dja esse statuendam cum notione inquirendi et consulendi in aliquem; ab isto themate manaverunt: ζη-μ-ία, cf. τα-μ-ίαν· ζημίαν Hesych. (pro δα-μ-ίαν dictum, cf. Curt. p. 548) ζη-τ-έω, ζή-τωρ ζη-τρ-ός ζα-τρ-εῖον determinativis μ et τ usurpatis, item suffixo primario τωρ, secundario ο (et ιο) adhibitis. Tamen contendere non ausim ad liquidum perduxisse me hanc quaestionem subdifficilem.

στιφρός densus spissus, jure ad radicem στιφ (unde τὸ στῖφος fluxit) refert Curtius p. 194. ἐλαφρός alacris, ap. Benf. II p. 26, Curt. p. 423; Curtio autem non me addixerim qui conferat nostrum ἐλαφρός cum rad. λαχ sanscr. lagh in ἐλαχύς; repugnat diversitas significationis. Etenim vocabulo ἐλαφρός notatur celer expeditus alacris (cf. ἐλαφρ. γυῖα, πόδες, ἵππος; ἐλαφρὸς διώκειν ap. Homerum) voce ἐλαχύς parvus. Contra ἐλαφρός non abhorrere videtur a nomine ἔλαφος cervus quod Pictetio duce (les origines des lang. I p. 438) ductum censeo a themate ἐλα in ἐλαύνειν. Quapropter nobis redeundum est ad rad. sanscr. ar (ap. Boehtlingh woerterb. pars I p. 401) »ire, ferri, surgere«. Deinde stirps ἐλα per determinativa φ et θ adaugebatur ut orerentur ἐλαφ-ρός et ἐλαθ-ρός·

ἐλαφρός Hesych. νεφρός ren, ap. Benf. II p. 56, Curt. p. 283, unde originem traxerit non liquet. Conicit C. cohaerere νεφρός cum voce germanica niero niere ita ut b interciderit in niero pro niebro. ναφρόν· λινοῦν ῥάμμα Hesych. lineum filum. Idem igitur valet quod νᾶμα νῆμα netum, filum. Qua re motus ναφρόν traxerim ad rad. na in latin. nê-o, german. nâ-an, graeco νέ-ω et sicuti νή-θ-ω a νέ-ω ducitur, sic να-π- amplificatum habeo a radice νε- sive antiquiore eaque genuina vocali α induta να. Deinde eam esse naturam litterae ρ ut adspiret τ κ π consonis praecedentibus jam ante vidimus. Placitum meum ut stabiliam de π determinativo prolatum provoco ad δα-π-άνη δά-π-τ-ω a radice δα in δα-ι-ω δα-ιτ derivata, item ad δύ-π-τω δύ-π-της ad δύ-ειν pertinentia; respicias etiam τρύ-π-η, τρυ-π-άω a radice τρυ, ἐλ-π-ίς a stirpe Ϝελ vol, cf. Curt. p. 58. σκληφροί· οἱ ἰσχνοὶ καὶ λεπτοὶ τοῖς σώμασι Hesych. idem significat σκλη-ρός, cf. Hesych. σκέλεται· ξηραίνει ἰσχναίνει. Itaque patet a radice σκλα (per transpositionem) fingi σκλη-π, porro adspirari π consona ρ. Coalescit autem quodammodo π illud vel φ cum terminatione in unum in vocabulis σκελ-ε-φρός σκελ-ι-φρός. Fortasse et hac ratione eruas etymologiam vocis ὄσφρα (cf. ὀσφραίνομαι, ὀσφρά-ν-j-ομαι) quam explicare studuerunt Pottius I p. 182, Benf. I p. 120 audacius ille quidem quam cui fidem habeat quisquam. Comparat enim graecum ὀσφράν-jομαι cum sanscritico utprân exhalare; vides quantopere intersit inter exhalandi et odorandi notionem. Magno sane ingenii acumine usus id agit Pottius ut radicem sanscr. ghrâ odorari olfacere conferat cum graeco ῥιν- (nominat. ῥίς) nasus, sive Ϝριν- quo modo expediat syllabam φραν neglecta priori ὀσ-. Me judice id potissimum debemus spectare quod par est significatio vocum ὀσμή et ὄσφρα. Jam quum sic distinguam ὄσ-φρα ut ὀσ-μή i. e. ὀδ-μή refero ὄσφρα ad radicem ὀδ (de qua cf. Curt. p. 219) profectus a radice secundaria ὀδφ. δ autem in σ abire sollenne est ante aspiratas, cf. ἐρεισθῆναι pro ἐρειδθῆναι, αἰσχρός pro αἰδ-χρός. δίφρος sedile currus, quod ὁ ἡνίοχος et ὁ παραιβάτης tenebant itaque duobus hominibus accommodatum. Qua de caussa priorem hujus verbi partem eandem habeo atque δι in δι-σσός δί-ς δι-ά, alteram suffixo illi φρο tribuo e π determinativo et propria terminatione ρο composito. Cogitavit Benfeius II p. 107 de radice φερ, ut δίφρος extet pro δίφορος; conjectura quod ad sensum attinet haud rejicienda. Dubito de forma: occurrunt enim cum radice φερ composita τὸ ἀνάφορον et διάφορος vocali ο non extrusa neque vocalis omittitur radici propria nisi initio vocabulorum cf. πτ-ίλον. Liceat hoc loco in transitu commemorare ὄφρα et τόφρα quae quidem Curtius p. 616 vult correpta esse e

ὄφιρα et τόφιρα, ὄ-φι-ρα et τό-φι-ρα; atque φι idem esse atque φι in νόσ-φι, ἶ-φι opinatur. Neque minus Christius Thierschius Langius Hugo Weberus viri d. operam dederunt ut quae sit origo horum verborum ostenderent. Attamen in etymologiis virorum illorum acquiescere non possum. Mihi quidem quam accuratissime respondere videntur ὁ et το thematibus pronominum sanscriticorum a (in ayam et adas) et ta. Accedit quod illae voces solummodo in epica lingua reperiuntur et ob hanc caussam vetustissimae sunt putandae; φρα suffixi loco pono. Praeterea non negaverim ὄ-φρα et τό-φρα esse mutilata e plenioribus formis sicut παρά e παραί, ὑπό ex ὑπαί. Ἀντίφρα· πολίχνιον Ἀλεξανδρείας ἐγγύς Hesych. fortasse ita dictum quod exadversum Alexandriam erat situm, ἀντί-φρα; elucet enim φρα a praepositione ἀντί stricte esse sejungendum alterius compositi partis instar. Similiter fit denominatio urbis alia urbe in nostro Hamburg et Altona ἄγαν ἐγγύς. ἡ τέφρα, adject. τεφρός apud Benf. II p. 237, Curt. p. 440; »favilla, id quod candet vel calet«. Recte retulerunt viri d. ad rad. sanscr. tap calere. ἡ τάφρος fossa, ap. Benf. I p. 654, Curt. p. 449. Ac Curtius quidem Hugonis Weberi comprobans sententiam ducit a causativo sanscr. dhâp (a rad. dhâ), graece θαπ unde *θάπρος θάφρος fluxerint quod e lege notissima de usu aspiratarum in τάφρος sit versum. ἡ Λαφρία Minervae et Dianae cognomen, significare videtur praedatricem, eam quae in bello sive in venatu praedam sibi rapiat. Refero ad rad. λαβ (cf. ἔ-λαβ-ον) et φ e β ortum esse per aspirationem sequentis ρ existimo. Contra β littera servatur in voce λάβρος vorax cupidus. κολυφρός· ἐλαφρός Hesych., thema statuo κολυβ. Optime quadrat ad hanc stirpem κορύβ-ας κορύβ-αντες de quibus Prellerus (mythol. gr. I p. 516) memorat fere haec: »auch sind sie . . . . fanatische taenzer mit wirbelnden bewegungen des hauptes und der glieder«, deinde mutata vocali κόλαβ-ος vortex, κολαβ-ρίζειν saltare. Non favet huic etymologiae Curtius p. 458 qui ait »dass φ jemals aus β hervorginge wird sich schwerlich nachweisen lassen«. Quod per se libenter concesserim haud esse admittendum, alia est res si ρ sequitur tanto adspirandi studio affectum ut vel vocali interposita π in φ mutaretur cf. βλέφ-αρον a rad. βλεπ. Obduruit fortasse β in π, tunc demum spiritum adsumpsit.

ἀφρός ap. Benf. I p. 585, Pott. I p. 3, Curt. p. 304, Schweizer ztschr. II p. 66. Vix erit qui stet a Benfeio ac Pottio, ne in Curtii quidem sententia permaneo. Quae fere profertur comparatio cum voce sanscr. abhra (cf. Boehtlingk pars I p. 363) claudicat quod illo verbo tempestates significantur et nubes, item aether, voce graeca spuma. Atqui spuma

nihil aliud est quam aqua albescens (cf. Plin. ep. 5, 6, 24). Ideo non dubito ἀφρός conferre cum rad. sanscr. ap. lat. aqu-a ea condicione ut primum *ἀπρός, deinde per aspirationem sollemnem ἀφρός sit formatum. Namque illud jure mirari debemus quod radicis indogermanicae ak, sanscr. et send. ap, latin. aqu- goth. ah-wa german. ah-a prorsus nulla indicia extiterint in graeca lingua nisi forte latere ea in vocabb. Μεσσάπιοι Ἀπιδανός Ἀπία ἄπιος credis. At vocis sanscr. abhra origo ad liquidum adhuc non est ducta. Sin quis ad nominum (non dico radicum!) e diversis linguis petitorum comparationem ea lege se confert ut omnino idem esse ea et radicum et terminationum respectu ostendat non solum formae sed etiam significationis strictum consensum excutere debet. Quod in nominibus ἀφρός et abhra fieri non posse facile unusquisque sibi persuadebit.

βλέφαρον pro *βλέπαρον dici jam Curtius vidit p. 448 et ipse supra refutasse mihi videor perversam rationem quam Benfeius ztschr. VI p. 50 iniit in expediendo hoc verbo, scilicet per suffixum Ϝαρα; mea quidem opinione α illud in αρον tantummodo e natura litterae ρ oritur. Similiter ab ipsa radice per sonum accessorium derivo τραφερός τρυφερός τραφαλός ψαφαρός ψαφερός.

πενιχρός pauper, cujus vocab. Curtius p. 245 facit mentionem, sic dispertiens πεν-ι-χρός, sed de ratione suffixi χρο nihil addidit. Primo autem aspectu facile credas pertinere πενιχρός ad stirpem aliquam in κ terminatam πενικ- atque re vera extant duae formae πένησσα πένισσα quas forsitan referat quispiam ad thema πενικ. Sin consideramus feminina illa esse ad mascul. πένης πένητ-ος certe non abjudicabimus a stirpe πενητ nedum a nova stirpe derivemus sicut πίειρα a πιϜερο-, cf. πίων. Contra σσ e τι i. e. πένησσα e πενήτια effectum esse agnoscemus, cf. μέλισσα μέλιτjα, λίσσομαι λίτjομαι. Πένισσα vero forma a grammaticis laudata videtur originem ducere e mendosa illa pronuntiatione Graecorum posterioris aetatis, nempe qui ι pro η dicerent. Itaque nil amplius obstat quominus πενι (cf. πενία) stirpem, χρο terminationem habeamus κ vel χ determinativo et ρο in unum coactis. Idem evenit in αἰσχρός de quo scripserunt Benf. II p. 335, Pott. II p. 37. 690, Curt. p. 330, Refero ad rad. αἰδ, αἰδ-χ in αἰσ-χ mutato propter aspiratam insequentem, cf. *ὄδφρα et ὄσφρα. Huc accedit γλίσχρος· κολλώδης lentus tenax item λίσχρος i. q. γλίσχρος quod Suidas praestat. Et hoc in nomine χρο in terminationem verto, radicem pono γλιτ λιτ unde ὀ-λισ-θ-ανω manavit. Etenim quod Curtius huc refert γλίχομαι (p. 330) valde dubito num recte ad rad. γλιτ trahatur quum nimis discrepet a significa-

tione primaria. ψυχρός rigidus ap. Curt. p. 632 pertinet ad rad. ψυ spu sphu in χ determinatam. βληχρός ἀβληχρός lenis invalidus fractus, ut ψή-χ-ω ad ψά-ω, σμή-χ-ω ad σμά-ω ita βλη-χ-ρός redit ad rad. primariam βλα sive *μβλα μλα i. e. μαλ unde profectum est μαλακός, cf. Curt. p. 292. 440, Benf. I p. 504. Memorabile videtur determinativum χ non usurpari nisi ante suffixum ρο quem ad modum θ et φ aspiratas cum ρ in unam quasi terminationem conjungi magnopere usu fuit receptum. ἰαχρός· εὐδιεινός Hesych. et ἰαχνόν· θαλπεινόν idem: cohaerent, opinor, haec nomina cum verbo ἰαίνειν calefacere, laetum reddere, ita ut omnes sint referendae ad rad. ἰα (cf. θερμα- et θερμά-ν-jω) quae determinativis χ et ν (cf. ἰάν-j-ειν) amplior est facta. μελιχρός mellitus, mellea dulcedine praeditus, a voce μέλι ductum; in quam stirps exit littera τ omnino omissa videtur; quod ni ita esset forma occurreret μελισχρός. ἀμυσχρός (sic)· ὁ ἀμίαντος καὶ καθαρός Suid. et Etymol. Mag. ἀμυσχρόν· καθαρὸν καὶ ἁγνόν Hesych. notat ergo hominem candidum qui nullo piaculo est maculatus. Meo judicio sic vox est dispertienda: ἀ-μυσ-χ-ρός. itaque pro radice μυδ eruo quum δ ante χ in σ abeat cf. αἰσχρός a rad. αἰδ. Radice μυδ autem omne lubricum et luteum significatur. μυσαχρός· ὁ μυσαρός derivo a themate μυσ-αγ- in μυσάττειν; probabile est γ in κ obduruisse, ut antea β in π, deinde aspiratione esse affectum. Eodem modo tractandum est vocab. βδελυχρός taeter foetidus, profectum a themate βδελυγ. ἄγχραν· μύωπα Hesych., compositum ex ἄγχι et ὁρᾶν ut Benfeius opinatur II p. 23; magis mihi consentaneum videtur stirpem ἀγχ- conjunctam esse cum suffixo ρα: is est ἄγχρας cujus oculi ferunt conspectum angustum. ἡ κέγχρα ὁ κέγχρος panicum italicum, milium ap. Pott. II p. 112, Benf. II p. 282, Curt. p. 134 qui hanc vocem per reduplicationem esse effectam a rad. καρ arbitrantur. Quo pacto e *κέρκρος κέγχρος sit ortum non video; omnino autem radices perraro geminantur ut vix sit credibile in vocabulo κέγχρος geminationis specie haud instructo bis esse positam radicem καρ. Equidem sic divido κέγχ-ρος, radicem statuo κεχ sive καχ. Saepissime enim χ sonum nasalem adsumens γ inserit cf. ἄγχι a stirpe ἀχ, βράγχος et βρόγχος a stirpe βραχ (v. βρυχ-άομαι) ἔλεγχος a λαχ radice, κόγχη κόγχος a rad. κοχ (κόχλος idem valet atque κόγχη) ἔγχος a rad. ἀκ (cf. Curt. p. 442) λόγχη a rad. λαχ tangere icere assequi in λαγχάνω, meram stirpem continet τὸ λάχ-ος sors. Recte autem Curtius monet: »nasale consonantengruppen verwandeln auch sonst α in ε, cf. πένθος βένθος φέγγος quod vel in vocab. κέγχρος a rad. καχ (cf. κάχ-ρος hordeum) derivando evenisse existimo. ὠχρός lividus, ap. Benf. II p. 197 qui ω praefixum habet χρο ra-

40

41

dicem. Eo in Graffii sententiam qui in libro suo »althochdeutscher sprachschatz« apte comparat cum voce germanica okker, itaque ὠχ sive ὠκ radicem pono. λέχ-ρ-ιος λέχ-ρ-ις obliquus, ap. Curt. p. 328; χ per aspirationem consonae κ est ortum, pro rad. λεκ vel λικ est statuendum cf. λικροί· ὄζοι τῶν ἐλαφείων κεράτων Hesych. ἄχρις ἄχρι donec, finem vel extremam partem alicujus rei significat, cf. Il. P 599:

βλῆτο γὰρ ὦμον δουρὶ πρόσω τετραμμένος αἰεί
ἄκρον ἐπιλίγδην· γράψεν δέ οἱ ὀστέον ἄχρις
αἰχμὴ Πουλυδάμαντος.

Jam Curtii opinionem (p. 174) nullo modo probare possum nempe qui ducat a rad. ἀχ in ἄχος etc. Angustiae enim et propinquitatis notio tantum in iis derivatis animadvertitur quae nasali interposita utuntur: ἀγχί ἀγχοῦ ἄγχω ἀγχόνη; nomina autem a mera stirpe ἀχ formata habent vim ad animum translatam metus atque angoris, sicut ἄχ-ος ἄχ-θ-ος ἀχ-ν-εύω ἄχ-νυ-μαι. Contra ut λέχρις a stirpe λεκ ita ἄχρις ab ἀκ fluxisse puto et quantopere sibi respondeant in versu illo homerico ἄκρον et ἄχρις vides; utrumque enim significat superiorem partem, id quod supra est vel superne, cf. quoque Il. Δ 522, Π 324. Postea ἄχρις quemvis finem notavit. ἡ ἐσχάρα focus; si αρα terminationem adimis pro themate restat ἐσχ; χ determinativum pono, radicem ἐσ vel Ϝεσ, ut prope accedat ad vocab. ἑσ-τία Ves-ta quae et ipsa focum significant. τροχαλός et τροχερός currens citus velox, a nomine τροχός derivantur. κάρχαροι· οἱ ἔσχατοι ὀδόντες, τραχεῖς τε καὶ ὀξεῖς, cf. κάρκαροι· τραχεῖς Hesych. Benfeius I p. 203 κάρχαρος reduplicatam habet formam radicis χαρ. Equidem αρος suffixum esse ex eo colligo quod et in aliis vocabulis huc pertinentibus littera χ sine dubio radici adscribi debet: κέρχνει· τραχύνει, κρερχ-νώμασι· τραχύσμασι, κερχ-νωτά· τραχέα Hesych.

Jamjam transeo ad radices in vocalem exeuntes quae cum suffixo primario ρο ρα conjunguntur. ξερός ξηρός aridus siccus exhaustus. In explicanda hac voce Benfeius II p. 134 in hariolationes hujusmodi incurrit ut ξηρός ex *ὐξερός arbitretur esse debilitatum, item radicem fictam ὐξ cum rad. sanscr. çush comparet. Pluribus refutare vanam hanc etymologiam operae haud est pretium. Legitur in thesauro linguae sansc. (ap. Boehtlingk. pars II p. 539. 540. 541) vox kshâma cujus vis principalis est »adustus ambustus« deinde »exsiccatus gracilis macer«. Juvat et haec verba conferre: ἡ ξηρά scil. γῆ terra firma continens et kshâman solum terra firma. Itaque hoc certum videtur eandem esse radicem kshâ et ξη quamvis terminationes diverse usurpentur (quod attinet ad consonas ξ et ksh cf. Curt. p. 343). Nil moror formam jonicam ξερός quia

Kruegerus (gramm. gr. II § 2 No. 6, adnot. 1—5) Jones saepius ε pro η adhibuisse demonstravit. τρηρός· ἐλαφρός et ὀτρηρός alacris fluxerunt a rad. τρέ-ω tremere, cf. Curt. p. 203. 653. Benf. I p. 54, II p. 253. Huc quoque τρή-ρ-ων fugax et ὀ-τρα-λέος traxerim. κηρός cera, ap. Curt. p. 138, Benf. I p. 34, Lottner ztschr. VII p. 171; verisimile est a verbo καί-ω κάϜ-jω rad. κα extincto digammate esse derivatum, cf. κη-ώδης. νηρός ναρός uvidus humidus fluidus, Νη-ρ-εύς (cf. Preller myth. gr. I p. 433) refero ad rad. νά-ω, unde et sanscr. nâra humidus est profectum. δηρόν dorice δᾱρόν, ap. Benf. II p. 209, Pott. I p. 97, Curt. p. 501, Legerlotz ztschr. VII p. 302. In aperto est prototypum hujus vocab. δϜᾱρόν fuisse (cf. δανόν [pro δϜανόν] δανά· ἤδη ὡς δή Hesych. quum saepissime νο terminatio pro ρο usurpetur) ac fluxisse a forma vetustiore δα δϜα sanscr. divâ. κλῆρος κλᾶρος, cf. ναύκλαρος sive ναύ-κραρος, facile a verbo κλά-ειν ducitur et significat id quod frangitur quod in partes dividitur cf. Benf. II p. 172, Pott. II p. 597. ἡ χήρα vidua χῆρος vacuus exhaustus, utrumque ductum a rad. χη χα (cf. χάος) sanscr. hâ, cf. Pott. I p. 199, Curt. p. 182. πληρο- in πληροσέληνος πληροφορέω, latin. ple-nus redit ad rad. πλα; α in η producitur ut fit ante ρο suffixum. Derivatur ab hoc themate πλή-ρ-ης. ἡ δήρα· μάχη Hesych. Apparet ρα esse terminationem si respicimus adject. δή-ϊος δάϊος hostilis et δῆ-ρ-ις bellum rixa (ad vocem δῆρις cf. Bopp ztschr. III p. 13); principalis forma radicis videtur δαϜ (cf. Priscian I p. 17). Hac de caussa rejicio Benfeii II p. 227 derivationem a rad. sanscr. d*r* (unde vidâra bellum fluxit) dehiscere disrumpere. τὰ εὔληρα frenum, item αὔληρον ἄβληρον Hesych. ap. Curt. p. 498, Benf. II p. 301. Antiquissima forma αὔληρον ἄϜληρον ἄ-Ϝλη-ρον extat ad rad. Ϝλα sive Ϝελ pertinens. ψηρός· friabilis Suidas, proficiscitur a verbo ψά-ω. Simili modo σπήρα quod apud Theognostum reperitur haud addita significatione, traxerim ad rad. σπά-ω. σκληρός asper ducitur a rad. σκλα- vel σκαλ.

ἐνσχερώ ἐπισχερώ adv. perpetuo σχερός terra continens. Vix quisquam in Benfeii sententiam iverit qui (I p. 385) a forma primaria *σεχεσρός ducat σχερός et χέρσος. Verisimilius est pertinere σχερός ad rad. ἐχ *σεχ σχε cum transpositione litterarum. Verbo enim ἔχομαι vis inest innitendi aliqua re vel comprehendendi, e. g. apud Herodot. I, 134 qui quasi manibus se amplectuntur οἱ ἐχόμενοι vicini dicuntur; τὰ ἐχόμενα latine exprimitur cohaerentia, ut ap. Platon. Gorgias p. 494 ε: ἐάν τίς σε τὰ ἐχόμενα τούτοις ἐφεξῆς ἅπαντα ἐρωτᾷ si quis . . . ea quae cohaerent cum illis . . . ex te quaesiverit. Ergo optime quadrat ad notionem radicis σχε terram σχερόν

i. e. continentem vocari. Similiter ἐνσχερώ seriem quodammodo significat cujus articula omnia arte inter se cohaerent. Eandem metathesin consonarum radicis statuo in voce πτερόν ala, nempe a πετ ducta. δεῦρο ap. Benf. II p. 232, Pott. II p. 44. 215. praeterea cf. Benfeii commentationem in libro ztschr. II p. 226; habet ille genuinam formam hujus vocab. tyatra unde nescio quomodo δεῦρο sit exortum. Vel violentius agit Pottius in explananda hac voce cujus formam vetustissimam ὧδε ὄρσο esse affirmat. Displicet utraque etymologia imprimis quum de plurali δεῦτε cogitamus. Id igitur est in caussa ut δευ meram stirpem ducam et δεῦρο imperativi et δεῦτε. Jam quae sit ratio syllabae δευ fusius quaerere hoc loco non est meum. πλευρά latus, ap. Benf. II p. 87 qui audacius derivat a rad. *πλεσ σ in υ mutato. Ipse aliam viam ingressurus sum quum eandem esse rationem hujus vocab. putem atque vocis πλευμών de qua conf. Curt. p. 252, nempe fluxisse a rad. πνυ λ pro ν posito. Εὖρος ap. Pott. I p. 138, Curt. p. 356, pertinet ad rad. εὔ-ω sive εὕ-ω urere: εὖ-ρο-ς. ἄλευρον ducit Curtius p. 322 a verbo secundario ἀλέω ut stet pro Ϝάλ-εϜ-ρον. λευρός lêvis, quocum conferas adject. λεῖος *λέ- ιος *λέϜ-ιος.

ῥωρός· ἰσχυρός Hesych. conicio ejusdem esse originis atque ῥώμη, scilicet a rad. ῥω quae extet in ἔ-ρρω-μαι. ἡ ὥρα ap. Pott. I p. 8. 123. Benf. I p. 328, II p. 297. Curt. p. 319. 540. ibidem de vocab. ὦρος agitur. Facillime expedias hanc vocem si ad rad. sanscr. yâ confugis, cf. yâtu tempus, qua in re Curtii judicium meum facio. Savelsbergius autem (ztschr. VII p. 386) ὥρα correptum habet e Ϝοάρα Ϝοσάρα quod confert cum sanscr. vâsaram dies a rad. vas profectus. Hoc non crediderim, etenim formae distractae Ϝοάρα vel σ olim interpositi prorsus nulla vestigia reperiuntur. μῶρος ap. Pottium I p. 169, Curt. p. 304, stultus, morus; idem valet vox vedica mûra, quare si etiam vocab. lituanicum muhêra stultus quaestioni huic adhibemus, certe mu radicem communem ponemus; ad vocem μῶρος vel μωρός cf. Weber ztschr. VI p. 318 qui derivat a rad. mar mori, videlicet a causativo mâr quod in vocab. μῶλος moles reperiatur. Perperam, nam quomodo laboris pugnaeque notioni res est cum stultitia? τὸ δῶρον redit ad rad. δο in δί-δο-μεν; brevis vocalis in longam vertitur ut fere fit ante ρο subsequens. ζωρός merus limpidus ap. Pott. II p. 805, Curt. p. 339; necesse ad rad. ζο redire sicut antea δῶρον ad δο referebatur, et apte Pottius in memoriam revocavit glossam Hesychianam ζο-ή· τὸ ἐπάνω τοῦ μέλιτος. Neque minus usu fuit recepta vox μελίζωρος ut dubitare non jam possimus quin ζο sit prototypum. Cum ζο autem cohaerent radices ζε

fervere aestuare (cf. ζέ-σις ζέ-μα ζῆ-λος) et ζεσ (cf. ζεσ-τός ἔ-ζεσ-μαι) item in lingua sanscrita yas Duentzerus autem ztschr. XV (homer. etymologieen) derivat ζωρός a ζα vel ζο in ζω-ός ζώ-πυρος. Verum aliam esse rationem hujus radicis jam Curtius ostendit p. 418. 547. Tum nimis aliena est vis illius vocis ζωός a ζωρός. ἡ χώρα et χῶρος id quod late patet, vastum spatium; porrecta syllaba χω accurate respondet sanscr. radici hâ jam commemoratae. Itaque nescio an ω illud sit vriddhi accipiendum vocalis α ac pro stirpe χα statuatur, cf. scr. pâ-nam et gr. πῶ-μα, item ψά-ειν et ψώ-ρα scabies.

Pergo ad terminationem -μωρος in vocabulis ὑλακόμωρος ἰόμωρος ἐγχεσίμωρος usurpatum, scripserunt de ea Benf. II p. 61, Curt. p. 296. 333. Benary ztschr. IV p. 49. Duentzer ztschr. XII p. 3. Benary vult -μωρος ductum esse a rad. μαρ μερ Curtio comprobante, atque vim tribuit eandem qua syllaba -φρων in compositis μελίφρων δαΐφρων utatur. At fortiorem esse significationem compositorum in -μωρος exeuntium ex eo conligi potest quod praeter ἐγχεσίμωρος in Etymologico Magno et apud Hesychium traditur vox ἐγχεσίμαργος »qui saevit cum hasta« simillimo modo formata ut paene pro certo stet altero vocabulo ἐγχεσίμαργος alterum ἐγχεσίμωρος explicari. Qua de caussa magis mihi arridet derivatio a rad. μα unde manaverunt μῆ-νις ira μαίνεσθαι i. e. μά-ν-jεσθαι animo esse concitato. -μωρός igitur vocatur qui valde est cupidus alicujus rei, cf. Il. B 817:

ἅμα τῷ γε πολὺ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι
λαοὶ θωρήσσοντο μεμαότες ἐγχείῃσιν.

Jam est in manibus μεμαότες ἐγχείῃσιν idem esse quod ἐγχεσίμωρος: nempe cupidos hastis pugnandi.

μαῦρος ap. Pott. I p. 253, Benf. I p. 481, Curt. p. 497. 498, praeter hanc adjectivi formam et μαυρός et ἀμαυρός sunt usitatae, cf. μαῦρον· τὸ ἀμαυρὸν καὶ ἀσθενές Hesych. Ἀ illud initio verbi positum Curtio privativum, protheticum Benfeio videtur, qua in re cum Benfeio conspiro. Nam id ipsum quod tres formae unius nominis complectuntur parem significationem satis est argumento litteram ἀ super additam carere sensu negativo. Quod si hoc conceditur, capere originem ἀμαυρός a rad. μαρ (ἀ-μαρ-Ϝός non splendens obscurus) diffitebimur. Sequitur ut radix quaedam μαυ statuatur, fortasse e μυ per vriddhi ducta, cujus rei indicia nonnulla adsunt, cf.

ἀ-μυ-δ-ρός· σκοτεινός	ἀ-μαυ-ρόν· σκοτεινόν
ἀ-μυ-δ-ρά· ἀσθενέστερα	μαῦ-ρον· ἀσθενές
ἀ-μυ-δ-ρότερα· ἀμαυρότερα ἀσθενέστερα	ἀ-μαυ-ρούμενοι· σκοτιζόμενοι
	ἀ-μαυ-ροῖ· μαραίνει

sunt glossae Hesychianae nec non in Apollonii lexico commemoratae. Jam quum tantopere consentiant lemmata vocum ἀ-μυ-δ-ρός et ἀ-μαυ-ρός vel magis ducimur ad rad. μυ per δ determinativum amplificatam ut saepe fit. Praefero hanc etymologiam vocab. ἀμυδρός ei quam supra attuli. ταῦρος, ap. Benf. I p. 639, Curt. p. 198. 497. 624; a rad. sthû profectum ut ostendit forma vedica sthûra et adjectivum stav-i-ra. Quod Ebelius ztschr. VIII p. 286 ταῦρος e ταῦρϜος manavisse censet et comparat gall. tarvos haud confirmatur analogia linguarum reliquarum quae omnes formam sine υ exhibent, cf. goth. stiur, slav. vet. dial. turu, lituan. tauras, latin. taurus. παῦλα requies ad rad. παυ pertinens, cujus hoc loco feci mentionem quod persaepe λο vices obit suffixi ρο. ναῦλον merces vel stipendium nautarum, a Curtio recte ad stirpem nominis ναῦ-ς relatum. θραῦλον θραῦρον· θραυόμενον, κόλουρον Hesych. videlicet a verbo θραύ-ειν derivandum. ἡ σαύρα ὁ σαῦρος lacerta ap. Benf. I p. 178 qui refert ad rad. ξυ vel ψυ vel συ nimis violenter commutando litteras ξ ψ ς. Tetigit rem Duentzerus ztschr. XVI p. 34 nempe deduxit a rad. συ properare quod valde probabile est propter lacertarum motus agilissimos ac versatiles. παῦρος ap. Curt. p. 244, Benf. II p. 79; non idem sentiunt viri d. de hac voce. Benfeius enim manasse παῦρος aut a rad. σφυ aut a rad. παρ (cf. par-vus) opinatur, quorum utrum rectum sit habendum non dijudicat. Praestat in Curtii sententiam ire quia persuasum habeo adjectivum parvus ejusdem esse stirpis ac »parum« adverbium, nempe paru (paru-us), paulum autem propius accedere ad παῦρος si haud gravem admittimus litterarum ρ et λ vicissitudinem. Ἄγλαυρος ap. Preller. myth. gr. I p. 158. 159, adnot. 4 qui recte ducit a rad. γλαυ, ut tota vox significet aetherem serenum cf. γλαυ-κός dilucidus γλαυ-σόν· λαμπρόν Hesych. — χναυρός ligurriens ad verbum χναύ-ειν arrodere pertinet. γαῦρος ἀγαυρός pollens superbus, ἐπίγαυρος· ἰσχυρός Hesych. Facere non possum quin Benfeii II p. 291, Curtiique p. 158. 417 placita respuam, qui conferant nostram vocem cum sanscritica garva superbia a rad. gar ducta. Etenim sumunt sibi viri illi d. terminationem Ϝο, in graeco quidem sermone fere inusitatam quonjam digamma non toleratur. At sine ulla difficultate expedias vocab. ἀγαυρός si vocem ἀγαυ-ός in comparationem advocaveris. Primum enim quod ad significationem attinet haud multum interest inter ἀγαυοί· λαμπροί φωτεινοί ἔνδοξοι ἐπιφανεῖς Hesych. et γαῦρος· αὐθάδης σεμνός μεγαλοπρεπής, γαύρῳ· μεγάλῳ idem. Deinde formae quoque quam maxime congruunt inter se: ἀ-γαυ-ός ἀ-γαυ-ρός. Apparet igitur α mere esse protheticum, γαυ radicem. Id quoque omittere

nolo quod Boehtlingkius (woertb. pars II p. 826) voci sanscr. gaura gau-ra inter alias has dat significationes: splendens augustus pulcher, cf. ἀ-γαυ-ός· λαμπρός θαυμαστός, ἄγαυρος· κομψός Hesych. Ἐπίδαυρος ap. Benf. II p. 69; qui derivat a rad. δυ per gunam vocalis υ, cf. δεύ-ειν. ἀφαυρός debilis exhaustus aridus, duco arad. αὔ-ω vel cum spiritu aspero αὔ-ω unde αὐ-σ-τηρός αὐ-χ-μός fluxerunt. λαύρα vicus, secundum Benfeium II p. 8 a rad. λυ derivatum, vel ῥυ, cf. ῥύ-μη vicus. Pro comperto non habuerim hanc etymologiam. ὁ σκαῦρος qui exstantes talos habet, scaurus, ap. Curt. p. 152 qui affert etiam σκαιός i. e. σκαϜ-ιός. Animadvertendum est digamma radici proprium non retineri nisi ante suffixum ρο scilicet postquam vocalis naturam induerit. καῦρος· κακός Hesych. item καυαρός· κακός, docet haec altera forma α adulterino instructa ρ litteram radici non, suffixo esse adsignandam; itaque pro radice καυ statuendum est, ceteroquin ignotum. σταυρός palus, pertinet ad rad. σταυ cognatam cum στα (cf. ἐ-στά-θην). αὖρα ap. Pott. I p. 123. 196. Curt. p. 347. ducitur a rad. ἀϜ in ἄϜ-η-μι; et hoc in nomine servatur digamma ante ρ.

τὸ στύρον apud. Herodian. π. μον. λεξ. et Theognost. canon. p. 130, 30 legitur significatione non addita. Fortasse referri potest ad rad. στυ unde manavit στῦλον columna, στύραξ hastile. ἡ σφῦρα et τὸ σφυρόν, Pottius I p. 239 in errore versatur stirpem σφυρ statuens. Fugit enim virum cl. cum graeco σφυ arte conjungendum esse verbum sanscr. sphu quod vim habeat parem. Contra Benfeius I p. 585 derivat utrumque vocab. a rad. σφυ turgere tumescere. Sane interest aliquid inter notiones »pedis talus« et »malleus«; veri indicium latinus sermo praebet quonjam malleoli nomen talo quoque imponit. Inde colligi potest metaphoram istiusmodi haud alienam fuisse et a graeca lingua. ξυρόν novacula, ap. Pott. II p. 58, I p. 263, Benf. I p. 171, Curt. p. 629, suffixo tenus par est voci sanscr. kshûra novacula nec falli mihi videor si Benfeium secutus radicem ξυ statuo, minus kshur quod quidem extare in indice radicum sanscriticarum non nescio sed usus adhuc non probatur e scriptoribus. Denique huc pertinet δυερόν. βλαβερόν ἐπιβλαβές Suidas, primarie a rad. δυ ductum; ε facillime vel inter vocalem et ρο inrepebat.

κλεῖρος· κλειδίον Hesych. clavicula, redit ad verbum κλείειν. ἡ νεῖρα νείρη venter et νειρόν· ἔσχατον Hesych. originem ducere a rad. νεϜ intellexerunt Benf. II p. 52, Curt. p. 282, aliter sentit Ebelius Ztschr. VI p. 206. λειρός sive λειρώς· ὁ ἰσχνός Hesych. λει-ρ-ιό-εντα· ἁπαλά. λείριον γὰρ τὸ ἄνθος· διὰ τὴν λειότητα idem. Nequeo a Benfeio (II p. 2) stare

qui λειρός a rad. λυ per gunam vult effectum esse: λυ λεϝρός λειρός. Quod per se fieri posse infitiari nolo (cf. Schleicher gramm. comp. p. 68) sed offendo in significationis diversitate. Malim λειρός conferre cum λευρός atque λεῖος ita ut digamma in ι vertatur, cujus rei exempla protulit Curtius p. 505—508. Namque id quod fricatur deteriturque fit tenue. Jam vero λευρός et λεῖος eadem uti stirpe qua verbum latin. lîv-are »polire fricare« est manifestum cf. Curt. p. 327.

δαιρός· ὁ καυστικός urendi vim habens, legitur ap. Arcadium p. 69, 17; pertinet ad verbum δαί-ειν urere. Occurrit jam vox obscurae originis quum parum sit perspectum num ρ littera radici vel suffixo sit tribuenda: καιρός quod interpretati sunt et Benfeius II p. 288 (qui derivat a rad. κῑρ) et Schleicherus Ztschr. XI p. 318 (dividit enim και-ρός affertque gothicum hveila, prototypum κι statuit) et Kuhnius Ztschr. XI (comparans καιρός καρjος cum verbo sanscr. kârya) et Pottius Ztschr. IX p. 175 auctor etymologiae modo dictae. Fateor nullam harum derivationem omnibus numeris certam mihi videri, attamen quod ad formationem nostrae vocis spectat Pottius fortasse a vero haud longe abfuit, imprimis quum vocab. ἑταῖρος respicimus pro quo et ἕταρος invenitur vel totum illud genus femininorum in αιρα exeuntium, epenthesi ι vocalis ex αρjα ortum. Jam ut hoc non abnuerim ita certum discrimen statuo inter καιρός et kârya quorum alterum id quod est faciendum, negotium significat, quando quae res opportune ac tempestive geratur, indicat alterum. ἄρουρα, ap. Pott. I p. 5, II p. 179 Benf. II p. 306 Curt. p. 498, sic dividi oportet: ἄρ-οϝ-ρα quia fluxit a themate ἀροϝ per terminationem ρα. Pottius quidem suffixum ponit ερα αρα, gravius peccans in leges contractionis e quibus ἀροῦρα expectari debebat. σκῖρος locus umbrosus ap. Benf. I p. 610 Curt. p. 154; τὰ σκῖρα· χωρία ὕλην ἔχοντα Hesych. σκίρον umbella : redeunt ad rad. σκι unde σκιά derivatur. Praeterea cf. Preller. mythol. gr. I p. 162 et Walter Ztschr. XII p. 385 qui genuinam radicis formam σκᾱ postulat. οὖρος ventus ap. Benf. I. p. 265 Pott. I p. 123, Curt. p. 347, proficiscitur a rad. ἀϝ et per vriddhi procreatur. Recte Curtius comparavit lituanicum illud »ôra tempestas.« μναρόν· μνοῖον molle Hesych.; stirpem μνα- esse intelligitur ex alia glossa a Hesychio tradita μνο-ιόν· μαλακόν (mutavit sine justa caussa Schmidtius in μνιόν) μνοῦς i. e. μνό-ος mollis pluma, μνοῦνες· μαλακοὶ μηροί. λῑρός procax insolens avidus; priorem syllabam porrectam esse ostendit versus ille Callimacheus λῑρός ἐγώ et quae seqq. (ap. Bergk anthol. lyr. Calli. frg. 39). Audacius deducit Benfeius II p. 138 a rad. γλιθ ut pro *γλιθρός λιρός sit

dictum. Displicet et Pottii derivatio (I p. 208) a rad. λι, sanscr. lî liquefacere propter vim diversam verborum. Fortasse removet difficultatem vox λᾰ́ρŏς in judicium vocata, larus avidus avis et vorax cf. λᾱρός· ἄπληστον λάβρον Hesych. λάρος etiam de homine dicitur avido ac sordido, nec minus quae Curtius attulit λᾰ́-μαχος λᾰ-μυρός. Refero igitur λιρός et λαρός ad rad. λα sicuti duae sunt formae unius radicis πο et πι, sanscr. pâ pî, mâ mî; jam notio generalis radicis λα est appetendi et cupiendi, α mutato in ι λιρός eum significat qui violentius aliquid cupit, nimis confidentem sui et procacem. Ceterum de rad. λα vel. λασ cf. Curt. p. 324. ἡ πήρα pera ap. Pott. I p. 193 Benf. II p. 75 qui ducunt a rad. sanscr. pâ bibere; hoc illi, ego vero quo jure πήρα i. e. panarium saccus cibariis repletus referatur ad bibendi notionem intelligere nequeo. Praestat edendi usum pera et inter alia alimenta panem potissimum continet. Vides quo tendam: latin. pâ-nis, pê-nus, pa-bulum, pa-sc-or, lituan. pé-nas (lac et pabulum cf. Schleicher glossar. lituan. p. 303) pe-nú vescor necessarie demonstrant talem fuisse notionem alterius radicis pâ (cf. Boehtlingk woeterb. pars IV p. 618) ut a genuina sustentandi significatione declinaret aliquantum ad vim nutriendi et alendi. Nec non πήρα altrix ac nutrix alicujus dici potuit quia alimenta praebuit.

Sequuntur nomina in υρος terminata quorum themata in υ desinentia adhuc extant:

ἄργυ-φος	—	ἄργυρος
ἄστυ	—	ἄστυρον
latin. acu	—	ἄχυρον
βδελυ-κ	—	βδελυρός
γάνυ-μαι	—	γανυρός
γλάμυ-ξος	—	γλαμυρός
τὸ γλάφυ	—	γλαφυρός
ἡδύ-ς	—	ἡθύλος
ἰσχύ-ς	—	ἰσχυρός
θαμύ-ς	—	θάμυρος
καπύ-ω	—	καπυρός
λεπύ-χανον	—	λεπυρός
λιγύ-ς	—	λιγυρός
μάρτυ-ς	—	μάρτυρος
μινυ-ζηός	—	μινυρός
μῶλυ-ς	—	μωλυρόν
ὀϊζύ-ς	—	ὀϊζυρός
πάλμυ-ς	—	πάλμυρον
παχύ-ς	—	παχυλός

σίσυ-ς	—	σισύρα
φλεγύ-ας	—	φλεγυρός
μινυ-ώριος	—	μινυρός
λαφύσσω i. e. λαφύ-κ-jω	—	λάφυρον

Complura autem vocabula hujusmodi ad stirpes in υ exeuntes referri non jam possunt, quamquam extitisse eas aliquando probabile est. Sunt haec: ἀήσυρος ἁλμυρός Βλέπυρος βλοσυρός (cf. Duentzer ztschr. XII p. 6) ἑκυρός (cf. Weber ztschr. VI p. 319) ἔνυρον ἐχυρός ζέφυρος Κέμυρος Κοισύρα Κολλύρα λάθυρον λαμυρός νάκυρον ἡ ὄλυρα ὀχυρός πάπυρος Πίστυρος πίτυλος πίτυρον πλημυρόν Σάτυρος Τέγῡρα Τίτυρος φιλύρα ψιθυρός κίχυρον καρφυρός.

Permulta occurrunt nomina in ηρός ηλός terminata quae maxima ex parte derives a stirpibus in α desinentibus; nonnulla duco a verbis secundariis in έω. Producuntur fere semper ε et α in η.

αἶψα	αἰψηρός,	ἀνία	ἀνιαρός
ἀλγέ-ω	ἀλγηρός	ἁμαρτ-ά-νω	ἁμαρτηρός
ἀλιτά-ν-jω	ἀλιτηρός		ἁμαρτηλός
ἀνθέ-ω	ἀνθηρός	μελέτα(η)	ἀμελετηρός
ὄθη(α)	ἀνοθηρός	ἄση(α)	ἀσηρός
ἄτη(α)	ἀτηρός	᾿Αττική(α)	᾿Αττικηρός
αὐα-λέος	αὐηρός	αὐστα-λέος	αὐστηρός
αὔξη(α)	αὐξηρός	αὔχμη(α)	αὐχμηρός
ἀπάτη(α)	ἀπατηλός	ἀεργέω	ἀεργηλός
ἀχθη-δών	ἀχθηρός	βαίνω βά-νjω	βέβηλος
γέα	γεηρός	cf. βά-σις	
γλυκά-νjω	γλυκηρός	γυμνά(δ)ς	γυμνηλός
δακνά-ζω	δακνηρός	δαπάνη	δαπανηρός
δύνα-μαι	δυνηρός	δίψα	διψηρός
ἐχθά-νομαι	δημεχθηλός		διψηλός
δράστης(α)	δραστηρός	τύχη(α)	ἐντυχηλός
ἔκη-τι	ἔκηλος	ἡ ζωή(α)	ζωηρός
	εὔκηλος	θέρμη(α)	θερμηρός
θανατά-ω	θανατηρός	κάπνη(α)	καπνηρός
κοπά-ζω	κοπηρός	κόπρα-νον	κοπρηρός
ἁλιά	ἁλιᾱρός	φλυά-ζω	φλύᾱρος
κυέω	κυηρός	κοπιάω	κοπιαρός
καρφα-λέος	καρφηρός	κρύβδα	κρυβδηλός
κρυβάζω	κρυβηλός	κατὰ	κατηρός
καρύημα	καρυηρός	κωπέω	κωπηρός
κλίνη(α)	κλινηρός	λάβη(α)	λαβήροις,
λάμπη(α)	λαμπηρός,	λιμά-νjω	λιμηρός
μυρά-φιον	μυρηρός	μιμέ-ομαι	μιμηλός

μοχθέω	μοχθηρός	μύχης, ητος, μυκα-	μυκηρός
τὸὄγκα-ιον	ὀγκηρός	οἰσύπη(α)	ὀισυπηρός
ὀμβρέω	ὀμβρηρός	οὐρέω	οὐρηρός
ὀμφάκη(α)	ὀμφακηρός	ὄχθη(α)	ὀχθηρός
οἴνη(α)	οἰνηρός	ὀδύνη(α)	ὀδυνηρός
ὄμπνη(α)	ὀμπνηρός	πενθέω	πενθηρός
ὀκνέω	ὀκνηρός	πίσσα	πισσηρός
πυργη-δόν	τὰ πύργηρα	πνίγη(α)	πνιγηρός
πλουτέω	πλουτηρός	πονέω	πονηρός
ποία	ποιηρός	ῥιγα-λέος	ῥιγηρός
πινάω	πινηρός	σιωπάω	σιωπηλός
σιγάω	σιγηλός	στιχάω	στιχηρός
	σιγηρός	στοιχέω	στοιχηρός
σαρκάω	*σαρκηρός	σιτέω	σιτηρός
	σαρκήρης	τόλμα	τολμηρός
τάρβη(α)	Τάρβηρος	τρίχα	τρίχηλος
τρυφή(α)	τσυφηλός	ὑδρα-ῖος	ὑδρηρός
ὑγιά-νjω	ὑγιηρός	ὑπνα-λέος	ὑπνηλός
χαμα-ί	χαμηλός		ὑπνηρός
		ὑψητός	ὑψηλός

Videtur autem ηρός suffixum e duobus elementis constans nempe ex α in η producto et e ρο in unum quasi coaluisse et denuo proprii suffixi vicem obiisse ita ut haud raro stirpibus in aliam vocalem terminatis adderetur, conf.

βότρυ-ς	βοτρυηρός
στάχυ-ς	σταχυηρός
δάκρυ	δακρυηρός
ἔλαιο-ν	ἐλαιηρός
ὀξύ-ς	ὀξυηρός
ἰχθύ-ς	ἰχθυηρός

vel thematibus in consonam exeuntibus tanquam suffixum simplex ac secundarium conf.

ὕδωρ	ὑδατ-	ὑδατηρός
αἷμα	αἱματ-	αἱματηρός
ἧπαρ	ἡπατ-	ἡπατηρός
μέλε	μελιτ-	μελιτηρός
καῦμα	καυματ-	καυματηρός
κῦμα	κυματ-	κυματηρός
γυνή	γυναικ-	γυναικηρός
τὰ	ἔγκατα	ἐγκατηρός
μαλθάσσω	μαλθακ-	μαλθακηρός·
πλακοῦς·	πλακουντ-	πλακουντηρός
ἀϜιδ-	ἀϊδ-	ἀΐδηλος
	ἀτυζ-	ἀτυζηλός·
	τραχ-	τράχηλος

vel meris radicibus: τρυχηλός σίδηρος λαιψηρός φάληρος. Jam supra adnotavi etiam themata in ο exeuntia enormiter usurpare terminationem ηρός, nunc addo haec.

αἰσχυντό-ς	αἰσχυντηλός
ἀνεξιτό-ς	ἀνεξιτηλός
βάλανο-ς	βαλανηρός
τάριχο-ς	ταριχηρός
τέταρτο-ς	τεταρτηρός
πήγανον	πηγανηρός
ὄστρακον	ὀστρακηρός
κάματο-ς	καματηρός
βάμβακο-ς	βαμβακηρός

Ad extremum aggrediamur nomina in ωρός ωλός ωρή ωλή desinentia. Atque ex analogia verborum in ηρός et υρός etiam terminationem ωρός profectam esse a thematibus in ο fit consentaneum. Verum pauca sunt vocabula quae re vera ad stirpes in ο terminatas reduxeris:

θερμό-ω	θερμωλή
τερπό-ω	τερπωλή
χαριτό-ω	χαριτωλή
φειδώ (ο)	φειδωλή
γαμψό-ω	γαμψωλή
θυό-ω	θυωρός
σκαιό-ω	σκαιωρ-ία
νεό-ω	νέωρον

Utrum nomina σκαφώρη καφώρη ἐλπωρή εὐχωλή θαλπωρή κηδωλός μεμφωλή μεταπαυσωλή ἁμαρτωλός πληθώρα ἀλεωρή φάγωρος θεραπωλή ἀδμωλή fluxerint a stirpibus in ο exeuntibus quae postea venerint in oblivionem an per ipsum suffixum ωρός ωλός ad radicis consonas accedens sint formata nunc quidem parum liquet neque certa nota potest dijudicari.

VITA.

Ego Georgius Schneider natus sum Liegnitziae a. d. III. Cal. Jan. anni MDCCCXLVIII patre Carolo matre Augusta e gente Reder quos ambos superstites veneror. Fidem profiteor evangelicam. Vratislaviae in ludo litterario primis elementis quum essem imbutus posthac in gymnasium Maria-Magdalenaeum sum receptus florens auspiciis Caroli Schoenbornii viri summi, nuper dolenda morte nobis erepti. Testimonium maturitatis adeptus mense Oct. anni h. s. LXVI universitatis Viadrinae civibus academicis adscriptus sum a Rossbachio v. ill. tum fasces tenente. In philosophorum album relatus audivi per septem semestria docentes vv. ill. Braniss Elvenich Haase Hertz Junkmann Neumann Reifferscheid Rossbach Rueckert Stenzler. Quum proseminarii tum seminarii regii philologici per quattuor semestria adfui consessibus quos moderabantur Hertz et Reifferscheid vv. ill. Imprimis autem Rossbach et Stenzler vv. cl. non modo eruditionis suae copiam mihi aperuerunt, sed etiam privato consilio omnique humanitate me adjuverunt. Quapropter horum virorum summorum piam gratamque memoriam semper servabo.

THESES.

I. Vox θησαυρός est composita e themate futuri radicis θε ac suffixo υρος per guna in αυρος adaucto similiter atque sanscr. ura in ôra.

II. Eurip. Hippolyt. vv. 363. 364. ed. Kirchhoff. sic legantur:

ὀλοίμαν ἔγωγε, πρὶν σὰν φίλαν
κάχ' ἀνύσαι φρενῶν.

III. Nominum in αρ ατος exeuntium haud sunt confundendae stirpes nominativi et genit. sed stricte disjungantur necesse est.

IV. Aeschyl. Prometh. v. 439, forma προυσελούμενον contra codicum fidem non debet recipi in textum.

V. Óvid. Metamm. III, vv. 240. 241. immerito subditicios habet Merkelius.
